

#6m. -

PE

# ALEXANDRIMAGNIEXPEDITIONE

INDICA QUAESTIONES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD DOCTOBS HOIORES RITE CAPESEUDOS

SCRIPSIT ET CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI

BISTORICORUM ET PWLOGORUH ORDINISIN UNIVRSITATK CAESARIA  
DORPATNSI

PUBLICICE DEFENDET

JOSEPHUS LEZIUS.


ADVBSARIOEUM PABTES SUSCIPIBNT:

CAND. PHIL. h. GOKTZ. - PROF. DR. 6. HORSCHELMANN. - PROF. DR. L. MENDELS801M

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS EXPBESSIT C. MATTIBSEN

1.887.



# FRIDERICO BIDDER

VNIVERSITATIS CAESAREAE DORPATENSIS PROFESSORI F.MERITO

Ex decreto ordinis Historicorum et Philologomm publicatum.  
Dorpati d. XXI m. Septembris anni MDCCCLXXXVII.

Dr. Leo Meyer  
ii. t. decanus.

AVO CAIUSSIMO

HUNC LIBELLUM

i). n. n.

NEPOS PIENTISSIMUS.

I. Praefatio	^
II. Narratio	p. 13
III. Appendix adnotationum	p. 75

## I. Praefatio.

Ex quo tempore homines docti in veterum historicorum fontes inquirere coeperunt, non defuere, qui in Alexandri rerum scriptores operam studiumque conferrent. Itaque intra hos proximos viginti vel triginta annos haud parvus dissertationum et commentationum numerus editus est, quas qui conscripserunt modo maiore modo minore sagacitate in ea re versantur. Quae cum ab Arthuro Fraenkelio<sup>1)</sup> omnes enumeratae et examinatae sint, eas iterum recensere longum esse existimo et legentem ad librum eius delego. Adgredienti autem mihi ad rem difficillimam a multis iam tentatam operae pretium esse videtur de hoc genere commentationum pauca praefari.

Quicumque in veterum scriptorum fontibus versatur, eum omnium primum cognitum habere oportet, utrum ad historiam rerum gestarum, an ad litterarum historiam librum pertinere velit. Illam enim qui colere instituit, nihil aliud spectat, nisi ut eorum, qui exstant, scriptorum et cognoscat fidem, et quantum quisque valeat ad res gestas diligentius vel indagandas vel enarrandas, dilucide ostendat atque evincat. Contra, qui in historia litterarum studium conlocavit, is libros, qui interierunt, quasi restituere, et quo fuerint argumento et dicendi genere, quantum fieri potest, reperire studet. Iam vero, quam utrumque genus quaestionum summi est momenti, ta-

1) Arthur Fraenkel „Die Quellen der Alexanderhistoriker“. Vratislavice 1883 p. 1—6.

men fatendum est, ex dissertationibus illis, quae pleraeque conscriptae sunt et nunc quoque conscribuntur, non semper effici, qua de causa sint conscriptae, quid valeant ad doctrinam historicam et philologicam vere augendam. Commentationes enim, quae totae ad historiam pertineant, rarius quam pro numero eduntur, nec saepe fit, ut quis diserte exponat aut breviter saltem comprehendat, quid ex fontibus, quos invenisse sibi videatur, redundare putet ad res gestas melius vel intellegendas vel explicandas. Sed plerumque in media quasi via consistunt, auctorem vel auctores, quos apud scriptorem quendam latere suspicantur, satis habent nominare, quae se invenisse existimant, ad historiae usum non transferunt. Ne litterarum quidem historia eius modi commentationibus tantum, quantum par est, adiuvatur. Non enim semper, quanquam saepius illud quidem faciunt, scriptoris, quem ex alio vel aliis tanquam excerpserunt, indolem vel genus sermonis diligentius definire conantur.

Quod cum in alias commentationes valet, tum in Fraenkelii librum. Fraenkel enim, qui in indice librum suum et ad litterarum historiam et ad scriptorum fontes indagandos pertinere dicit („Ein Beitrag zur griechischen Litteraturgeschichte und Quellenkunde“), in praefatione •] operam se daturum pollicetur, ut libris, qui exstent, ut fundamento usus, scriptorum antiquorum quae interciderint opera, quantum fieri possit, adumbret. Verum enim vero ex libro eius summa diligentia et sagacitate composito nihil fere lucratur, unde de scriptorum illorum indole vel novi vel certi quicquam cognoscamus. Doctrinae historicae non magis inservit neque multa praebet, quibus ad res gestas indagandas uti possimus. Nam quanquam in ultimo libri capite, quod inscribitur „Eesultate“,

1) Fraenkelp. 1: „Es durfte daher als eine der philologisch-literarhistorischen Porschung nicht unwfirdige Aufgabe erscheinen, sowohl das Verhaltmiss der uns erhaltenen Schriftsteller zu einander und zu ihren Quellen, als auch das Verhaltmiss der verloren gegangenen Originalauctoren zu einander, soweit als moglich, zu bestimmen.“

coniecturis parum probabilibus et conclusiunculis audacissimis nisus\* omnium Alexandri Magni scriptorum stemma, quod dicitur, proponit contortissimum, tamen hoc stemmate contentus neque de ipsis scriptoribus diligentius disputat, neque diiudicare conatur, quanti quaeque facienda sit narratio, cuius auctorem invenisse sibi videtur. Itaque Fraenkelii liber, quippe qui neque historicis neque litterarum studiosis satisfaciat, ut singula omittam, non multum attulit utilitatis. Totam materiam ab eo conlatam si quis denuo retractare velit, nihil fere eorum, quae a Fraenkelio proposita sunt, inconcussum relinquat; sed laborem, quamvis non difficilem, tamen inutilem suscipiat. Beiecto enim Fraenkelii stemmate aliud, quod veri similis sit, proposuerit, coniecturas vero incertas non evitaverit. Qua re equidem non dubito, quin res alia disceptanda sit ratione, neque fieri possit, ut de historia Alexandri Magni rectius indicemus, nisi a lata illa, quam Fraenkel ingressus sit, via discedamus.

Ut ad rem redeam, in historiarum scriptorum fontibus qui versatur, is omnium primum quaerere debet, quanti quisque faciendus sit scriptor, quo melius et rectius de ipsis rebus existimemus. Hoc primum spectandum est. Quin etiam, si non tam historiae rerum gestarum, quam litterarum historiae studemus, nihil efficimus, nisi hanc rationem sequimur. Omnino duo illa quaerendi genera non sunt distinguenda, sed arte inter se cohaerent, ita ut scriptorum fides ante omnia respicienda sit. Velut, si quis in scriptore versatur, cuius intercudit liber, aegre efficit, ut quo usus sit sermone et elocutione ostendat, sed tota fere erit disputatio de argumento libri: quaeritur, quid scriptor sibi proposuerit, utrum tumide et infiate, an sicce et simpliciter res enarraverit, utrum ipsas res gestas memoraverit, an narratiunculas et res geographicas sectatus sit, utrum homo credulus fuerit et fabulator, an sobrium et sanum iudicium semper praestiterit: denique quaerendum, quantum scriptori habendum sit fidei. Quod fieri non potest, nisi indagamus, unde quaeque sumpta sit relatio quantique sit mo-

menti ad integram rerum memoriam restituendam. Item, si ex libris, qui exstant, historiam conscripturi sumus, facere non poterimus, quin quaeramus, quibus usi sint auctoribus, et horum indolem et scribendi rationem inlustremus. Quam ob rem quicumque in hoc litterarum genere versatur, utrumque spectare et disputationem et ad meram, ut ita dicam, historiam et ad historiam litterarum referre debet. Si veram rei rationem exigimus, haec duo quaerendi genera unum sunt, quoniam omnis profecto est quaestio de fide historiae. Interest vero hoc, quod vel huic vel illi rationi maior tribuitur vis. Atque cum Alexandri Magni res attingere coepissem, operae pretium mihi visum est exponere, quatenus quaeque scriptorum relatio vera sit; sic enim apparebit, quas res pro certis liceat accipere, nec non quid sentjendum sit de historiae eius aetatis scriptoribus. Dissertationem meam angustioribus finibus circumscribere coactus sum, ut partem quandam eius historiae et enarrarem et in fontes, quibus uti liceret, inquirerem. Neque enim fieri poterit, ut de aetate ulla aut de scriptoribus eius recte iudicemus, nisi continuatis commentationibus, certo quodam temporis momento circumscriptis, omnia, quae ad rem attineant, diligenter perscrutati erimus.

De Alexandri Magni rebus homines docti aliquantum iam sunt adsecuti et magis magisque consentire incipiunt<sup>1)</sup>. Omnes enim iure Arriani sententiam sequuntur, qui scriptores Alexandri Magni in duas dividit partes, quarum una Ptolemaei et Aristobuli libros contineat, altera ceteros scriptores omnes. Nam cum adfirmari liceat, Arriani aetate libros ab aequalibus Alexandri Magni conscriptos nondum interiisse, nos quidem de his rectius iudicare non possumus quam scriptor ille integerrimus. Ex hoc Arriani iudicio efficitur, ea tantum, quae vel a Ptolemaeo vel ab Aristobulo memorentur, aliquam

1) Hoc loco, ubi de scriptoribus Alexandri Magni in universum ago, singula non persequor. Qui accuratius in rem inquirere vult, in Fraenke I i libro dissertationibusque ab eo laudatis plura inveniet.

probabilitatis speciem prae se ferre, ea vero, quae ex aliis auctoribus petita sint, suspecta esse, nisi aliquo Ptolemaei vel Aristobuli testimonio confirmentur. Hanc Arriani sententiam, quae re ipsa confirmatur, in libello meo persecutus sum. — Quaerendum autem, quatenus, qui exstant, Alexandri rerum scriptores illos, quorum perierunt libri, excipiant. Inter omnes autem constat, Arriani, qui Ptolemaeum et Aristobulum fere sequatur, summam esse auctoritatem. Solus enim duobus illis, ut maxime fide dignis, primariis usus est auctoribus. Ceteri scriptores Alexandri Magni Diodorus, Curtius, Justinus<sup>1)</sup> ab Arriano alieni sunt, quippe qui plurima, quae referant, ex aliis auctoribus sumpserint et iis quidem, quorum libros Arrianus<sup>2)</sup> *Xeyoptva juovov untp 'Ahdvdrou* appellet et a Ptolemaei et Aristobuli plane distinguat. Atque, si ea, quae ipse tradit, vel strictim cum ceteris auctoribus contulerimus atque respererimus ea, quae et in prooemio<sup>3)</sup> de Ptolemaeo et Aristobulo disserit et in ipsa narratione<sup>4)</sup> contra alios scriptores disputat, non dubitabimus, quin iure utrosque discernat. Qua de re cum omnes consentiant, non est, quod plura argumenta adferam. Parentem deterioris Alexandri historiae Clitarchum ducere solent, sed cum sint, qui huic sententiae repugnant<sup>5)</sup>, in hanc rem diligentius inquiram.

Minus interest, utrum scriptores, qui ad nos pervenerunt, ipsi auctoribus usi sint, an libros ad manus habuerint, ex primigeniis fontibus, ut ita dicam, iam excerptos. Historicorum enim Graecorum plerosque interiisse, nemo est, qui nesciat. Sunt, quorum non nisi nomina nota sint, sunt, quo-

1) Strabonem et Polyaeum hoc loco mitto.

2) Arr. prooem. § 3. Ubi Arrianum laudo non adscripto libri indice, anabasis intellego. Editionibus usus sum Sinenisii (Berolini 1867) Abichtii (Lipsiae 1882) Kruegeri maiore. Scriptorum minorum mihi praesto fuit editio Eberhardii (Lipsiae 1885).

3) Arr. prooem. § 2. •

4) Arr. cum passim, tum VI, 11, 3 sq.

5) cf. librum L. O. Broeckeri „Moderne Quellenforscher und antike Geschichtschreiber“, Oeniponti 1882.

rum vel nomina evanuerint. Itaque neque ad memoriam rerum gestarum restituendam neque ad historiam litterarum augendam multum valeat, si tertium aliquem scriptorem statuamus, qui fontes primigenios adhibuerit et ab iis, qui exstent, exscriptus sit: neque enim planius inde cognoscimus, quid factum sit olim, neque novo invento scriptore, cuius ne nomen quidem notum est, disciplinam philologicam vere adiuvamus. Immo si in fontes rerum scriptoris alicuius inquirimus, non tam interest demonstrari, quos potissimum libros ipse ad manus habuerit, quam unde quaeque petita sit narratio, quis primus eius fuerit auctor. Illud enim rarissime ostendi potest neque multum refert; hoc saepius potest multoque maioris est momenti. Utcumque res se habet, hoc profiteor, me dubitare, num scriptores Alexandri Magni omnia ex eodem auctore petierint, qui tot saeculis ante fuerit, velut Clitarcho. Et *pe* se veri simile est, inde ab Aristobulo usque ad Diodorum non defuisse, qui Alexandri res maxime memorabiles perscriberent et de multis accepimus, etiam si nonnulli nomine tantum; noti sint<sup>1)</sup>.

Contra tenendum est, Arrianum Ptolemaei et Aristobuu libros, quos secuturum se pollicetur, ipsum inspexisse. Quae dicit *Xsyonsw*, ea omnino non respicit, neque prioris posteriorisque aetatis scriptores discernit. Sequitur, Clitarcho ei non plus valuisse, quam quemlibet alium posterioris aetatis scriptorem. Itaque cum plerumque ne nomina quidem eorum adferat, sed incertas usurpet formulas, si rem ipsam spectamus, non multum interest, utrum narrationem aliquam ab ipso Clitarcho vel Onesicrito sumpserit, an ab aliquo ex sectatoribus eorum. Atque unus *Schoene*<sup>2)</sup>, quantum scio, conten-

1) Velut Arr. VII, 15, 5 Aristum quendam et Asclepiadem *rwv rd Akt^dvSpou dvaypatf/dvrcuv* commemorat, vel Plutarchus Alex. c. 46 plurimos nominat.

2) Alfredus Schoene „Analecta philologica historica I. De rerum Alexandri Magni scriptorum inprimis Arriani et Plutarchi fontibus“, Lipsiae 1870.

dit, Arrianum omnibus locis fontem secutum esse, qui ex aliis iam emanasset auctoribus, sed haec sententia hominibus doctis non est probata. Schaefer<sup>1)</sup> eam statim iure et repudiavit et emendavit, atque Fraenkel<sup>2)</sup> in libro suo diserte Schoenium impugnat. Schoene quidem inde, quod Arrianus et Plutarchus interdum concinunt et interdum eodem modo diversas scriptorum sententias commemorant, concludit, utrumque eodem auctore usum esse, qui circiter ducesimo ante Christum natum anno magnum librum conscripsisset et, quaecumque diversae prolatae essent scriptorum relationes, eas diligenter adnotasset. Quae sententia minime probabilis est. Fac enim, auctorem illum scriptorem fuisse, qui a ceteris non differret, cuius liber a tralaticiiis libris non esset diversus, plurimae existunt difficultates, quae Schoenii coniectura nequaquam tollantur. Sin autem librum eius eum fuisse statuamus, quem Fraenkel recte „Sammelwerk“ dicat — quin etiam scriptorem „Sammelschriftsteller“ appellat —, eius modi opus, quod omnes fere rerum Alexandri Magni scriptores a Ptolemaeo et Aristobulo usque ad Onesicritum et Clitarcho continuerit, tam fuerit ingens et immensum, ut haec opinio ab omni probabilitate abhorreat. Quam ob rem tenendum, id quod fere fit, Arrianum Ptolemaei et Aristobuli historias ad manus habuisse. Nam cum et ipse in prooemio aperte hoc profiteatur, et libri eius a ceteris dissimilitudine haec sententia satis probetur, superstitiosum sit scriptoris fidem in dubium vocare.

Non idem valet in Diodorum, Curtium, Justinum. Haud ita multo ante plerique obtinebant, omnes tres<sup>3)</sup> ipsos Clitarcho exscripsisse<sup>4)</sup>. Quod si ita esset, nihil esset, quod

1) Arnoldus Schaefer in *annalibus philologicis* 1870 p. 433—446.

2) Fraenkel I. 1. p. 30—92.

3) Justinum si dico, Trogum Pompeium me intellegere, consentaneum est.

4) Hoc contenderunt Raun „De Clitarcho Diodori, Curtii, Justinii auctore“ diss. Bonnae 1868 et Petersdorff „Diodorus, Curtius, Arrianus qui-

quaeremus, et omnes difficultates essent sublatae. Sed doleo, rem tam simpliciter expediri non posse. Immo Koehler<sup>1)</sup> rectam viam ingressus est, cum omnes tres ipsum Clitarchum inspexisse negavit. Sane nunquam id potest demonstrari. Atque Koehler, quia inter scriptores illos plerumque consensus quidam cerneretur et discrepantiae non nisi levioribus in rebus intercederent, suo quemque auctore usum esse arbitratur, qui Clitarchi historias excrispsisset et additamentis amplificasset. Neque tamen eundem eos fontem usurpasse, sed alium alium secutum esse auctorem, qui quidem omnes ex Clitarcho fluxissent<sup>2)</sup>. Quos fontes, inprimis eum, ex quo Curtius hausisset, multis additamentis aliunde petitis auctos esse multaque incrementa cepisse Koehler putat, antequam is fons evaderet, quo quisque scriptor usus esset. Haec sententia multo probabilior est. Id tantum obiciam, nomen «Kleitarchbearbeitung», quod huius modi fonti imposuerit, quo Fraenkel etiam atque etiam utatur, parum esse commodum. Intellegendus enim est liber magnam partem ex Clitarcho haustus, sed additamentis non paucis amplificatus. Eandem sententiam Eraenkel persequitur, sed idem et auctores illos ignotos indagare et in Clitarcho fontes inquirere conatur. Verum, etsi veteres scriptores uno solo auctore usos esse iure negant, neuter eorum ex hac re id efficit, quod effici necesse est. Nam omnes fere scriptores, quorum libri interciderunt, complures auctores adhibuisse concedunt, Diodorum, Curtium, Justinum uno solo fonte usos esse contendunt. At, si cano-

bus ex fontibus expeditiones ab Alexandro in Asia usque ad Dari mortem factas hauserint" diss. Regiomont. Gedani 1870, qui a Baunio nonnihil dissentit. Raunii dissertatio mihi praesto non fuit. Petersdorff in alio libro post edito „Eine neue Hauptquelle des Curtius Rufus" Hannoverae 1884 rectius de hac re iudicat.

1) Rudolfus Koehler „Eine Quellenkritik zur Geschichte Alexanders des Grossen in Diodor, Curtius, Justin" diss Lipsiae 1879.

2) Hoc ex libro eius efficio, quanquam p. 20 in diversam sententiam discedit.

nem illum repudiamus, eum plane repudiare debemus, ne eo deducamur, ut neglegamus eum in scriptore, qui perierit, in scriptore, qui exstet, observemus.

Sane per se non est probabile, Diodorum, Curtium, Justinum, scriptores dispares atque dissimiles, ex librorum paene innumerabili multitudine, quibus ad res Alexandri perscribendas uti liceret, omnes eundem elegisse auctorem, priscum Clitarchum, cuius virtutes alii, si non superarent, at certe adaequarent. Non magis sententia illa ferri potest, si scriptorum narrationes inter se comparamus. Primum enim explicari non potest, cur Diodorus et Curtius interdum consentiant<sup>3)</sup>, ubi diversas auctorum relationes commemorant, id quod neque casu factum est, neque Clitarcho tribui potest, cuius aetate tantus librorum numerus nondum conscriptus fuerit. Tenendum autem est, Clitarchum Alexandri eorumque, qui una cum eo in Asiam profecti essent, aequalem fuisse, neque libris scriptis solis usum esse. Deinde intellegi non potest, cur saepe diversa proferant, etiam si eos interdum neglegentius scripsisse statuamus. Fraenkel non paucos<sup>4)</sup> eius modi locos attulit. Omnino postquam Diodorum, Curtium, Justinum diligenter inter se contuli, mihi quidem dubium non est, quin sententiam contrariam si quis sequatur, opinione praeiudicata ad rem accedat<sup>5)</sup>.

De Plutarcho pauca dicenda sunt. In dies enim plures existunt, qui Plutarchum hominem ducant admodum literatum multaque lectione exercitatum, qui plurimis perlectis libris vitas conscripserit. Quam ob rem, si negemus veteres scriptores fontes suos, ut ita dicam, contaminasse, cum de aliis, tum de Plutarcho non recte iudicemus. Neque quisquam nunc quidem dubitaverit, quin Plutarchus, quos adferat in vita

1) Imprimis locum significo notissimum, ubi de morte Alexandri agitur: Diod. XVII, 117 et 118; Curt. X, 10, 14 sq.; Just. XII, 13 et 14.

2) Fraenkel p. 407 sq.

3) Sed adnotaverim ex eo loco, unde Fraenkel proficiscatur, nihil efficiendum esse. cf. append. I.

Alexandri Magni auctores, eos ipse inspexerit et integris fontibus usus vitam composuerit

Ut breviter comprehendam, quae sentio : Diodorum, Curtium, Justinum libros usurpasse puto ex aliis iam descriptos, qui omnes fere vulgatam, quam dicunt, historiam Alexandri continerent et fabulis narratiunculisque abundarent. Quos scriptores nominare non possumus, neque unquam accurate definire poterimus, quot fuerint, aut quam procul a primigeniis fontibus afuerint. Quo enim quisque diligentius in hanc rem inquireret, eo magis in incertas coniecturas delabatur. Ne proxime quidem ad verum accedemus. Multorum labore opus est, ut de scriptoribus Alexandri Magni omnibus ex partibus recte sentiamus. Fraunkelio autem, qui lata via ingressus rem diiudicare et stemma eorum proponere conatus est, iure accidit, ut fere omnia, quae invenisse sibi videretur, ab hominibus doctis reicerentur.

Cum veteres scriptores non uno semper fonte usi sint — probari saltem hoc nequit — fieri potest, ut etiam Diodorus, Curtius, Justinus aliqua praebeant, quae ex melioribus auctoribus, velut Ptolemaeo et Aristobulo sumpta sint. Apud Curtium omnes concedunt aliquot Aristobuli reliquias inveniri, apud Diodorum et Justinum non ita, quanquam per se est concedendum. Necdum enim scriptores omnes ea conlati sunt diligentia, ut pro certo liceat adfirmari, Ptolemaeum non fuisse in Diodori aut Curtii auctoribus. Difficultas vel inde oritur, quod saepissime definiri non potest, quis scriptor primus rem aliquam tradiderit, praesertim in re vaga, quam quilibet scriptor commemorare vel posset, vel deberet. Ac Curtius quidem interdum cum Arriano congruit, ubi hic primarios fontes sequatur, et Diodorus aut taceat<sup>1)</sup>, aut aliud quid praebeat, quod minus veri simile sit<sup>2)</sup>. Cum autem Aristobuli liber magis divulgatus fuisse videatur, quam Ptolemaei, qui rebus

1) Loci sunt permulti, velut Arr. I, 29, 5. 6. — Curt. III, 1, 9. 10.

2) Fraenkel p. 422 sq.

bellicis describendis operam daret, de illo potissime cogitandum erit, quae dulci et diffuso scribendi genere legentibus magis arrideret. Sed non est, quod Ptolemaeum plane removeamus, quanquam hoc vulgo fit et Broecker<sup>1)</sup> solus in diversam sententiam disputare non destitit. Has Ptolemaei et Aristobuli reliquias investigari plurimi interest; nam quo quisque scriptor plures exhibet, eo plus valet ad res gestas indagandas.

Utrum Diodorus, Curtius, Justinus — de Curtio maxime agitur — praeter fontem primum ab Arriani auctoribus diversum ipsi alios libros ex Aristobulo ductos ad manus habuerint, an unum quisque auctorem secutus sit, qui compluribus fontibus usus esset, mitto quaerere. Nec multum interest. Utcumque res se habet, concedendum est, et Diodorum, et Curtium, et Trogum potuisse saltem compluribus fontibus uti. Curtius enim, ut ceteros omittam, haut dubie librum vel libros adhibere potuit lingua graeca conscriptos, neque intellego, cur a Curtio quidem unum tantum librum, ab incerto quodam scriptore complures adhibitos esse existimemus. Numerus eorum, qui legem illam de historicis antiquis propositam sequantur, in dies minuitur. Quam omni fundamento carere vel inde apparet, quod, si ii, qui exstant, scriptores uno fonte usi sunt, eos, quorum interciderunt libri, compluribus usos esse necesse est. Hoc quanquam ipsum secum pugnat, tamen tantum abest, ut Koehler et Fraenkel<sup>1)</sup> — exceptis paucissimis locis — de Diodoro, Curtio, Trogo a lege discedant, ut opinionem suam ne comprobare quidem conentur. Negat enim uterque, scriptores propriis additamentis insertis legentium animos delectare studuisse, et Fraenkel etiam atque etiam profitetur, Diodorum et Curtium auctores suos religiosissime („getreu“) secutos esse, cum

1) Broecker 1. 1. Nuper E. Evers „Ein Beitrag zur Untersuchung der Quellenbenutzung bei Diodor“ Broeckero adsententus est.

2) Koehler cp. II; Fraenkel passim.

hos minime religiose fontes suos emendasse et amplificasse censeat vel videatur censere. Sed, ut ad rem transeam, in hac disputatiuncula partem rerum Alexandri Magni, expeditionem Indicam, enarrare et in fontes eius inquirere destinavi. Neque quaeram, quot aut quales cuique praesto fuerint auctores, sed demonstrare studebo, quantum quisque valeat ad integram rerum memoriam restituendam. Itaque historiae litterarum qui student. ex hoc libello nihil lucri facient, immo negaverim, quicquam certi statui posse, antequam scriptorum relationes accuratissime conlatae et inlustratae sint. Narrationem, quam praebeo, historicam quasi truncum esse volo, ad quem adnotationes sicut rami se applicent. Cum Droyseni libro splendidissimo eam comparare non audeo. Non ignoro, me illum non modo superare, sed ne aequare quidem unquam posse, sed fortasse continget mihi, ut Diodori et Curtii relationibus diligentius perpensis nonnulla, quae profert, corrigam et emendem. Quae conscripsi, nihil nisi parvam quasi symbolam esse volo, ad quam plurimas accedere oportet, ut quando homo vere historicus praeclarissimas magni regis res novo libro plane ac dilucide enarrare possit').

1) Consentaneum est, ab iis me proficisci, quae Arrianus tradit; in adnotationibus de ceteris relationibus et de fontibus scriptorum ago. Omisi omnia, quae ad gentes Indicas describendas, rem contortissimam, pertinent, de situ regionis tantum egi, quantum res ipsa postulare videbatur. Doleo, quod tabula geographica satis diligenter depicta mihi praesto non fuit. Qui accuratius in has res inquirere vult, in libris Chr. Lasseni „Indische Alterthumskunde" Lipsiae 1874 et Cunninghamii „The ancient geography of India" Londinii 1871 omnia, quae opus sunt, inveniet. Kaerstii libro „Forschungen zur Geschichte Alexanders des Grossen" Stuttgarti 1887 mihi uti non licuit. Accepi enim eum, cum dissertatio mea confecta iam esset.

## II. Narratio.

Alexander, postquam acerrimo bello provincias ad orientem et septentrionem vergentes subegit, totum regnum Persarum sub potestatem suam redegerat. Cum hostes devicti essent omnes, nihil ei obstabat, quo minus terram quam expugnando percurrisset, placaret, confirmaret, legibus et institutis administraret, rem multo difficiliorum, denique quo minus ea iam efficeret, quae animo agitaret iuvenili obscura atque incondita. Sed tantum aberat, ut illud munus susciperet, ut duos annos bellum gerere, proelia committere, oppida oppugnare pergeret, antequam ad res pacis adgrederetur. Atque invasit in Indiam, quam terram Persae, etsi tentaverant bello, tamen nunquam regno suo adiunxerant. Ipsa enim natura India ab occidentali Asia magis erat seiuncta, quam ut ullo modo cogitari posset, terras toto caelo diversas in regni unius corpus coalituras esse. "Neque factum est, ut eae gentes, quae nihilo minus illud appetere, imperium, quod naturae ordini repugnaret, diu obtinere possent. Itaque iure quaeritur, quidnam Alexandrum compulerit, ut regno Persarum non contentus Indiam peteret, terram remotam et ab occidente longissime disiunctam. Ac Droysen<sup>1)</sup> quidem, qui Alexandrum semper sana mente et consiliis saluberrimis ductum

1) Joh. Gust. Droysen „Geschichte des Hellenismus" I, 2<sup>o</sup> Gothae 1877 velut p. 98 et p. 201. Ubi Droysenum nullo indice adscripto laudo, secundum primae partis fasciculum intellego.

esse faciat, hanc quoque eum suscepisse expeditionem putat, ut, quod ante diligenter secum considerasset, cum summo generis humani commodo efficeret. Expeditionem igitur Indicam necessariam fuisse contendit, ut ea quae proposuisset sibi Alexander ad finem perduceret, atque videtur sibi persuadere, illum iam initio clare perspectum habuisse, quod postea appetere videretur, ut terras ad Nilum flumen, ad Euphratem Indumque sitas mutuo commercio legumque et deorum communi in unum coniungeret.

Quae sententia mihi non minus iniqua videtur esse quam Grotii'). Grote enim Alexandrum non magno aliquo studio, sed insatiabili gloriae cupidine, qua porro semper rape-retur, tractum esse et de confirmando imperio non ultra belli necessitatem cogitasse contendit. Utrumque enim cum de Alexandri, tum omnino de magnorum virorum ingeniis non recte iudicare existimo. Hominis enim vere ingeniosi est, capere consilia cito, interdum temere, indulgere iis, quae in mentem venerint, quamvis sint mira, et simul ea, quae coe-perit, summa audacia et summa constantia persequi. Consi-lium, quo quid efficiatur, etiam si ineptum videatur, tamen salutare est generi humano et res gignit pulcherrimas et prae-clarissimas. Ut in rebus humanis quaerendo nihil inventum est magni, nisi divinus quidam instinctus suffragabatur, ita non omnes res, quibus orbis terrarum moveretur, ratione et consilio gestae sunt. Magni enim ingenii vir saepius divinum quendam instinctum sequitur; quae vel fecerit vel invenerit, optima esse postea apparet. Idem in Alexandrum valet. Itaque Kanke<sup>2)</sup> nescio an recte de eo iudicaverit, cum etiam in Alexandro utrumque infuisse putat, et adflatum quendam divinum et consilium constantiamque in agendo. Alexander,

1) Georg Grote „Geschichte Griechenlands“ in linguam Germa-nicam conversa a Meissnero-Hoepfnero vol. VI Lipsiae 1856 passim.

2) Leopoldus de Ranke „Weltgeschichte“ vol. 1<sup>o</sup>, Lipsiae 1883. p. 166 sq.

cum Asiae bellum inferret, et novum quiddam mente cogita-tioneque complexus est, et e» efficere voluit, quae iam Philip-pus pater mente agitaverat. Ipso autem bello imperii fines longius atque longius proferre coactus et eo postremo pro-gressus est, ut ex Macedonum et Graecorum propugnatore is fieret, qui certum consilium sequeretur, qui imperium condere vellet, quo populi „surgente a sole ad eum, quo vespertina tepet regio“ in unum coalescerent.

Eodem modo de expeditione Indica iudicandum est. Cum enim India iam illis temporibus, sic ut multis post saeculis, terra habita sit maxime omnium mirabilis plurimisque cele-brata sit fabulis, haud improbabiler ii videntur iudicare'), qui Alexandri animum iam pridem Ctesiae de India narra-tionibus fabularum plenis incensum et ad eam terram atten-tum esse censeant, quanquam Lassen<sup>2)</sup> Humboldtium<sup>3)</sup> secutus hanc sententiam plane spernit et ne dignam quidem ducit, quae refutetur. Quae ipse profert „dass das Bewusst-sein der Ueberlegenheit der Hellenen tiber die Barbaren und seines eigenen Berufes, sie gegen diese geltend zu machen, ihn zu seiner Unternehmung angetrieben habe“, vereor ne incertiora sint, quam ut ab omnibus probentur. Alexander, cum in Bactrianam contenderet, fines Indiae iam tetigerat, neque abstinere se potuit, quin in terram celeberrimam ipse invaderet eamque suis ipsius oculis conspiceret et armis per-curreret. Qua re Indorum principes\*), qui hortarentur, ut susciperet expeditionem, eum promptum et paratum animo repperere. Suscepit eam Alexander, etsi non erat necessaria

1) In hanc scripserunt sententiam St. Croix „Examen critique des historiens d'Alexandre le Grand“ Parisiis 1805 et A. W. de Schlegel „Ind. Bibl.“ I p. 150.

2) Lassen *il* p. 125.

3) A. de Humboldt „Kosmos“ II p. 184.

4) Diod. XVII, 86, 4 et eodem fere modo Curt. VIU, 12, 5—6. Arrianus hoc non commemorat, sed inde, quod vel ex eo IV, 22, 0 hoc factum esse apparet, sequitur, quae illi duo tradant, non esse spernenda.

ad opus perficiendum et imperium, quod bello subegerat, firmandum. Neque enim unquam factum est, ut gentes ex interiore India profectae regioni occidentali bellum inferrent eamque sub potestatem suam redigerent, neque Alexander id metuere potuit, qui a principibus illis de populis Indi fluminis ripas incolentibus satis multa audiisset. Quam ob rem ipsum consilium Indiae adgrediendae somnio cuidam vel fastidio tribuerim, quo studio Napoleo maior magis magisque captus Moscoviam postremo petiit et de summo fortunae fastigio deiectus est, quo studio ne Caesar quidem caruit, quo omnes fere elati ingenii homines praediti sunt. Vel Ranke minus fortasse, quam par est, hanc Alexandri indolem significat, cum Grote eam ultro augeat, qui regem celebret ut hominem, qui magnas terras expugnaverit, sed nullam ei praeterea tribuat laudem. In India cum iam versaretur, Alexander intellegere coepit, quantum capturi essent utilitatis omnes, quos subegisset, populi, si India perpetuo commercio cum imperio coniunctum foret. Quod ut efficeretur, fieri non potuit, quin Indi fluminis ripae Macedonum armis tenerentur.

Occasio facile data est, nam. Alexandro cum India iam usus aliquis intercedebat. Hoc loco commemorandi sunt Siscottus et Taxiles, Indorum principes, quorum ille primo Bessi partes secutus erat, deinde vero Bactriana subacta<sup>1)</sup> Macedonibus se applicaverat, hic, cuius regnum ultra Indum flumen situm erat, Alexandrum hortatus esse videtur, ut expeditionem susciperet<sup>2)</sup>. Fama magni regis etiam in arva Indorum perlata erat et Taxilorum oppidi principem incitaverat, ut ab illo contra Porum, regem finitimum, auxilium peteret.

Bactra coactae sunt copiae, quibus rex subiturus erat bellum novum, a nullo susceptum. Quot fuerint milites, nus-

1) Arr. IV, 30, 4. De nomine eius differunt codices.

2) Diod. XVII. 86, 7; Curt. VIII, 12, 5. cf. append. U. Arrianus hoc plane non tradit, sed Taxilem sic commemorat IV, 22, 6, ut res manifesta sit.

quam traditum est neque certum inveniri potest<sup>3)</sup>). In provinciis modo pacatis, Bactriana et Sogdiana, Amyntas relictus est cum decem milibus peditum et tribus milibus quingentis equitibus<sup>4)</sup>. Exeunte vere<sup>5)</sup> anni n. ae. 327 rex Bactris profectus nullo hoste impediendo ad Paropamisum \*) saltus pervenit, qui nunc Hindu-Kusch vocatur. Quibus montibus decem diebus<sup>6)</sup> sine ullo detrimento traiectis exercitus in Paropamisadum provinciam ad urbem Alexandriam descendit, quam rex antea, cum a meridie in Bactrianam contenderet, sub Caucaso monte condiderat. Quo loco sita fuerit Alexandria, certum definiri non potest, quanquam hoc plurimi interest, ut de itineribus ab Alexandro postea factis recte existimemus. Droysen<sup>6)</sup> docet, errasse Eilerum, qui Alexandriam locum, qui Bamian vocaretur, esse putaret<sup>7)</sup>: Bamian enim in ipso monte situm erat magisque ad septentrionem spectabat<sup>8)</sup>.

In Paropamisadis Alexander diutius moratus est<sup>9)</sup>. Copiis enim, quae eodem anno atrocissimum bellum gesserant,

1) Koehly et Ruestow „Geschichte des griechischen Kriegswesens" Aarovie 1852 p. 254 exercitus numerum computare conati sunt, sed haec mera est coniectura. cf. Hans Droysen „Untersuchungen über Alexander des Grossen Heerwesen und Kriegführung" Friburgi Brisgaviae 1885 p. 6 sq. et p. 28 sq.

2) Arr. IV, 22, 3.

3) cf. append. III.

4) Hanc nominis formam, quae Tulgo usurpatur, recepi.

5) Droyaen p. 102 obscurius dicit: „man erreichte nach einem zehntagigen Marsche die Stadt Alexandria", nam illi decem dies ipso transitu montium consumpti sunt, ut idem Droysen III, 2, p. 222, ubi oppida ab Alexandro condita emimerat, recte praedicat.

6) Droysen III, 2 p. 222.

7) Karl Ritter „Ueber Alexanders des Grossen Feldzug am Indischen Kaukasus." Commentationes academiae Berolinensis 1829 p. 151,

8) Cf. ea, quae Schuffert „Alexandera des Grossen indischer Feldzug." Progr. Colbergi 1886 p. 8 de hac causa composuit. Qui, etsi eo loco, quo nunc est oppidum Tscharikar, Alexandriam fuisse sumit, tamen, qua via Macedonum exercitus iter perrexerit, non satis perspicue inlustrat.

9) cf. append. UI.

corpora reficiendi tempus datum est, magna pars tum demum advenisse videtur. Eex, qui semper severum se praeberet in procuratores, satrapae provinciae et praefecto urbis imperium ademit, quia male rem gessisse videbantur; urbi praeposuit Mcanorem, provinciam Tyriasi permisisit, quorum illum urbem modo conditam omni ratione adjuvare iussit<sup>1)</sup>. Alexandriae reliquit milites quicumque laboribus confecti erant<sup>2)</sup>. Terminum Paropamisadarum provinciae ab oriente Cophenem flumen destinavit. Cophenem hoc loco non intellexerim superiorem Kabul fluminis partem, qui ab occidente in orientem fluit et in Indum effunditur, sed aliud flumen, quod in Paropamiso oritur et cum Cophene (Kabul) miscetur, quod nunc Pundschir vocatur. Ab ulteriore huius fluminis ripa novam Indiam provinciam initium capere voluit, quae iam erat expugnanda<sup>3)</sup>. Quibus effectis Alexander lento agmine ad urbem Nicaeam et Cophenem amnem pervenit: qua processerit

1) Arr. IV, 22, 4—5. Arriana remotorum nomina hoc loco non adfert, sed III, 28, 4 eos nominavit. Satrapes fuerat Proexes, praefectus Niloxenus. Quis fuerit Nicanor, non liquet. Cogitari potest aut de Nicanore Balacri, Ciliciae satrapae, patre (Arr. II, 12, 2) quem Droysen p. 102 adn.: 2 intellegit, aut de Nicanore classi praefecto (Arr. I, 18, 4 et 19, 3). Sed nihil de iis accepimus, et ne id quidem constat, num hic fuerit idem atque ille. Tyriaspes hoc loco primum commemoratur.

2) Vel hinc apparet, copias in ea regione omnibus rebus ornatas atque instructas esse. Cf. append. III.

3) Sic Droysen existimavit in libro „Geschichte Alexander des Grossen“ Berolini 1833 p. 363 adn. 9. In altero vero libro „Geschichte des Hellenismus“ I, 2 p. 102 adn. 3 sententiam mutavit et Kabul flumini inde a capite nomen Copheni dandum esse ratus, illa Arriani verba de superiore huius fluminis parte accipit, qua Paropamisadas ab Arachosis seiunctos esse putat. Lassen „Indische Alterthumskunde“ II, 2 p. 132—133 et p. 133 adn. 3 cum Droyseno consentit. Sed tamen in ea, quam olim protulit, sententia perseveraverim. Neque enim intellego, cur Alexander illo potissime tempore duas provincias, quae iam pridem constitutae essent, certis finibus separaverit, tanquam nondum essent definitae. At multum intererat, constitui, quatenus Paropamisadarum provincia in orientem pertineret, ubi fines imperii non erant certi et novam provinciam imperio adiungere statuerat.

via, parum constat, cum de situ urbis nihil certi statuere possumus<sup>1)</sup>. Droysen negavit Nicaeam eandem fuisse urbem, quae nunc Kabul, olim Cabura vel Ortospana appellaretur. Debit sane Droysen sic existimare, qui etiam superiorem Kabul fluminis partem inde a fonte usque ad Pundschir fluminis ostium Cophenem duceret. Eum si Cophenem fuisse statuamus, Nicaeam non esse Caburam necesse est. Cabura enim ad illud flumen situm est, cum ex Arriani<sup>2)</sup> verbis appareat, Nicaeam ad Cophenem flumen non fuisse positam. Sin autem Pundschir Cophenem esse putamus, de Cabura cogitari potest, nisi quis forte obicit, Caburam procul ab Alexandri itinere afuisse<sup>3)</sup>. Utcumque res se habet, tenendum est, Alexandrum ad locum quendam fluminis pervenisse, qui Indos a Paropamisadis disiungeret, ibique constitisse. Locus accuratius definiri nequit, neque eruere possumus, utrum supra an infra Pundschir fluminis ostium fuerit. Lassen Alexandrum, cum ad Cophenem proficisceretur, a septentrione ad meridiem contendisse conicit, sed eodem iure eum ab occidente in orientem exercitum duxisse cogitari licet.

Ad Cophenem cum venisset, Indorum principes, imprimis Taxilem, quos eo sibi obviam ire iusserat, exspectavit<sup>4)</sup>. Qui cum convenissent, de itinere consultavit. Proxima enim erat via per vallem, quam mediam Cophen interfluit. Sed videtur Alexander audiisse, saltus, qui a flumine in septentrionem usque ad montes altissimos vergerent, a gentibus validis et bellicosus incolis, quas opprimi oportebat, «t tutum in Indiam iter fieret. Qua re exercitum in duas divisit partes:

1) cf. ea, quae Droysen I, 2, p. 102 adn. 4 et III, 2 p. 228 adnotavit.

2) Arr. IV, 22, 6. „*δρξορ>σνσ 3κ .Μξαϑ μιην χαλ ζφ .Α&γνα φνεα 7ζρουχιυπετ <ο? ιχι ζον Ααίπ/να.*“

3) cf. Schuffert I. I. p. 9.

4) Falso Schuffert p. 9 legatos tum demum ad principes missos esse opinatur; missi enim erant haud dubie, cum exercitus Alexandriam pervenisset.

Perdiccam et Hephaestionem cum Gorgiae et Cliti et Meleagri phalangibus et dimidio equifum Macedonum omnibusque equitibus mercennariis recta via ad Indum flumen in Peucelaotim pagum contendere iubet, ubi incolis in deditionem coactis omnia, quae ad flumen transeundum necessaria essent, providerent ipsumque exspectarent. Cum autem ipse laeva fuminis ripa in Indiam inrumpere constituisset, illos altera ripa i. e. dextra vel meridiana per Khyber-saltus conclamatos iter fecisse consentaneum est<sup>1)</sup>. Indorum principes eos comitari iussi sunt. Ceteris copiis rex montanos subigere voluit<sup>2)</sup>. Cophenem amnem transitum esse, quanquam Arrianus de hac re tacet, tamen per se apparet; haud dubie non multum praebuit difficultatis. Traiecto exercitu Alexander ad montes appropinquavit. Quod ipse montanos castigare statuerat, non est mirandum. Semper enim, quod difficillimum erat, ipse adgressus est, praetoribus leviora permisit. Itaque iure nescio an Lassen<sup>3)</sup> tum quoque Alexandrum periculorum et gloriae cupidine ductum eam sibi elegisse partem censeat, ubi et pericula subeunda essent maiora et insignis eum maneret gloria. In Alexandro ratio et consilium atque animi fervor et ardor sic erant coniuncta, ut discerni non possint. Brevi rex in Choisis<sup>4)</sup> fuminis vallem iter flexit et aliquamdiu adverso flu-

1) Sane Peucelaotis oppidum in laeva Cophenis ripa situm erat (Arr. IV, 28, 6), sed cum planities, quam Cophen interfluit, montibus inclusa haud late pateat, Peucelaotim pagum etiam in dextram ripam pertinuisse verisimile est.

2) Arr. IV, 23, 1 eum has secum habuisse copias tradit: dimidium comitum (*ruiv kraipiov*), hypaspistas, *rwv xsl-sraipwv xakoiifüvwv rdq rd\$eis*, leviter armatorum aagittarios et Agrianas et hippacontistas. Has igitur omnes fuisse copias conligendum est, quas Alexander in Indiam duxerit. Mirum, quod hippotoxotae non commemorantur, quorum c. 24, 1 et passim mentio fit.

3) Lassen II p. 135, quanquam Schuffert p. 10 ab eo dissentire videtur.

4) Choem omnes consentiunt Khonar flumen esse, quod nunc vocatur; a septentrione in Kabul flumen effunditur.

mine profectus est; deinde in laevam ripam transgressus in valle iter facere perrexit<sup>1)</sup>. Maiore exercitus parte relicta cum equitatu et octingentis peditibus, quos equis imposuerat<sup>2)</sup>, cito agmine praecurrit, ut hostes, quos montes et arces petere audiisset, consequeretur. Incidit in gentem Aspasiurum<sup>3)</sup>. Ad arcem quam primam invenit, hostes acie resistentes facile in fugam compulit, sed ipse in umero vulneratus est, et Ptolemaeus Leonnatusque vulnera acceperunt. Proximo die, postquam cetera copiarum pars subvenit<sup>4)</sup>, arx oppugnari coepta est. Murus exterior primo impetu captus est; cum vero Macedones protinus interiorum adgrederentur, propugnatores animis defecerunt moenibusque desertis fuga salutem petiverunt. Atrocissima inter fugientes facta est caedes, neque Alexander militum furorem coercuit: oppidum solo aequatum est. Arrianus tradit, milites rege vulnerato incensos acerrime pugnasse neque cuiquam pepercisse<sup>5)</sup>. Sed non est neglegendum, Alexandrum tum primum cum gente contendisse, quae Persarum imperium non esset experta. Itaque barbaris demonstrare voluit, adversarium se esse invictum, qui mitis esset et placabilis, ubi nihil resisteretur, sed armis repugnantes acerbe et crudeliter opprimeret<sup>6)</sup>. Ita factum est, ut Alexander, ubi primum ex finibus regni Achaemenidarum excessisset, summam in bello adhereret licentiam et crudelitatem.

Andaca proximum oppidum ab incolis traditum est<sup>7)</sup>. Deinde rex iterum exercitum divisit. Craterum enim cum maiore parte finitimam regionem percurrere iussit, ipse cum maxime expeditis<sup>8)</sup> quam celerrime perrexit, ut cum hostium

1) Arr. IV, 23, 1—2.

2) Fortasse erant hypaspistae, quos Droyaen p. 105 dicit.

3) De gente cf. ea, quae Lassen II p. 137 conlegit.

4) Etsi Arrianus hoc non tradit, ex iis quae sequenter efficitur.

5) Arr. IV. 23, 3-5.

6) cf. append. IV.

7) Arr. IV. 23, 5.

8) cf. append. V.

mole arma conferret. Nam gentis ducem cum magno exercitu ad oppidum Euaspla<sup>1)</sup> tendere audierat. Sed longo facto itinere ubi binis castris ad oppidum venit, repperit locum desertum ab incolis et incensum. Non passus est Alexander, barbaros imperium detrectare vim armorum non expertos. Magno opere enim eius intererat, hostes opprimi atque de<sup>2)</sup> vinci, ut tutum haberet iter in interiorem Indiam. Qua re fugientes summa celeritate persecutus partem ex fuga deprehendit: novissimum agmen trucidatum est, ceteri in montes effugere. In eo proelio dux Aspasiolorum a Ptolemaeo interfectus est<sup>3)</sup>. Haec tria oppida omnia in valle haud procul a Khonar flumine sita fuisse videntur. Quantum vero Alexander in septentrionem processerit, parum constat<sup>4)</sup>. His effectis cum regio subacta videretur, Craterum Andacis relictum locum communire iussit<sup>4)</sup>, ipse proximurn pagum adgredi statuit.

Itaque montes in orientem versus transgressus in proximam vallem ad oppidum Arigaeum pervenit, quam et ipsam desertam atque incensam repperit. Quo loco Craterus, qui omnibus perfectis alia via montes superaverat, copias cum eo coniunxit. Sed rursus remansit, ut hoc quoque oppidum restitueret et communiret. Imminebat haud dubie locus viae, quae trans montes ducebat. Interea rex fugientes usque ad montem aliquem persecutus est, ubi constitisse eos suspica-

1) Arr. IV, 24, 1 „cu? iiri TOV -KOTapbv TOV Eudo-Tzka." Legitur etiam Eua<; -Kokstvoq. Gronovius coniecit Sudarov, Kiepert Xodtrmijv. cf. append. VI.

2) Arr. IV, 24, 2—5: „TOV ijys/ova TUJV TUUTTJ 'JVSUJV." Ab Arriano hoc tam perspicue et dilucide narratum est, ut non dubium sit, quin ex ipso Ptolemaeo id hauserit, praesertim cum § 5 exstent verba: „Evdex-routnv . . . Idyrjv xapTepdv." Haec enim verba, quae interdum apud Arrianum inveniuntur (velut Arr. IV, 17, 2 et IV, 22, 2) a Ptolemaeo saepius usitata esse Fraenkel p. 279 comprobavit.

3) Do locis cf. Schuffert p. 12.

4) Arr. IV, 23, 5 ; „xai rd xard TTV ythpav oxiii; ^u/itropujTaTa rd xapovTa xoo/isiv." Alius enim sensus in verbis inesse non potest.

batur<sup>1)</sup>. Postquam Ptolemaeus hostes adesse cognovit, Alexander praesidio in castris relicto tripartito in barbaros impetum fecit. Uni parti Leonnatum praeposuit, secundae Ptolemaeum, tertia ipse signa inferro statuit<sup>2)</sup>. Fortuna incepto favit. Undique enim victores prorupere, quanquam Ptolemaeo non nisi acerrimo facto proelio contigit, ut Indos in fugam compelleret. Plus quadraginta milia hominum et pecudum magnus numerus capta sunt<sup>3)</sup>, quorum pulcherrimos rex in Macedoniam mittere destinavit<sup>4)</sup>.

Aspasiolorum gente sub potestatem suam redacta, Alexander nulla mora interposita Assacenos, proximam gentem, petiit, quos magno coacto exercitu proelio decertare velle audierat<sup>5)</sup>. Sed ante quam proficisceretur, exercitum divisit. Craterum enim, qui Arigaeum oppidum interea muris circumdederat, cum gravis \*armaturae militibus et machinis subsequi iussit,

1) Arr. IV, 24, 7. Hoc quoque loco ea, quae Arrianus narrat, tam sunt dilucida et accurata, omniaque quae ad Ptolemaeum pertinent, tam diligenter memorata sunt, ut hunc esse auctorem perspicuum sit, praesertim cum IV, 25, 4 ipse laudetur et § 1 et 3 „J-dy ij xapTepd" commemoretur.

2) Arr. IV, 24, 10 sq. memorat, Leonnato Attali et Balacri Tix^ei^ fuisse, Ptolemaeo tertiam partem regionum hypaspistarum („TWV ur.aaraorCov TUJV j3amhxujv") Philippi et Philotae legiones, Agrianas et duo milia sagittariorum i„Suo %ohapyias Tthv TO^OTWV"), equitum dimidiam partem commissa esse. Ceterae copiae non enumerantur. Mirandum est, in Leonnati agmine leviter armatos plane deesse, nam si hunc locum cum Arr. IV, 23, 1 conferimus, Attali et Balacri legiones sicut Philippi et Philotae -e^BTaictov erant, nisi ex Arr. III, 12, 3 Balacri legionem ex leviter armatis (acontistis) effectam esse concludimus. Ceterum ex illo loco efficitur, sagittariorum numerum maximum fuisse. Qui intellegendi sint regii hypaspistae, utrum fia-aihxoi TzaXSeq qui dicuntur, an ipsi hypaspistae, non liquet (cf. H. Droy -en p. 16 et 17). Hos fuisse veri similis est, quia illi pauciores erant.

3) Ptolemaeus ipse ab Arriano IV, 25, 4 huius rei testis laudatur. Eum in omni hac parte auctorem latere, iam supra dixi.

4) Do Curtio cf. append. VII.

5) Arr. IV, 25, 5 equitum viginti milia, peditum plus triginta milia, elephantos triginta dicit. \*

ipse cum maxirne expeditis ') per Guraeorum fines ad Assacenos contendere festinavit. Guraeum flumen<sup>2)</sup> vi aquae rapidum et saxis lapidibusque impeditum aegre traiecit. Fama nominis exercitum iam praecesserat. Nusquam enim incolae armis resistere ausi sunt, sed in oppida confugerant et portis clausis hostem exspectabant. Qua re cognita Alexander Massaga petiit, caput gentis, septem milium mercennariorum praesidio tutum. Macedones cum advenissent, Indi excursionem ex moenibus fecere, sed facile sunt repulsi<sup>3)</sup> neque amplius ex moenibus egressi sunt. Eodem die Alexander, dum hostium munimenta explorat, leviter vulneratus est. Postero die, postquam Craterus cum machinis subsecutus est \*), oppidum undique oppugnari coeptum est. Singulos obsidionis dies Arrianus diligenter persequitur<sup>4)</sup>. Per triduum Indi acerrime restiterunt, quarto die, cum princeps eorum cecidisset<sup>5)</sup>, de

1) Arr. IV, 25, 6 comites equites, hippacontistas, Coeni et Polysperchontis legiones, mille Agrianas et omnes sagittarios commemorat. De mille Agrianibus cf. append. VIII.

2) Guraeus proximus ex fluviis, qui a septentrione in Copenhem effunduntur, accipiendus est, qui nunc Pangkora vocatur. cf. Lassen p. 140.

3) Arr. IV, 26, 1—4. Etiam hoc proelium ab Arriano tam dilucide descriptum est, ut auctorem subesse coniciam, qui ipse proelio interfuerit. Quod in Ptolemaeum quadrat, ex quo ea quoque, quae praecedunt, sumpta esse videntur.

4) Quanquam Arrianus advenisse Craterum non tradit, tamen ex ipsa re colligendum est. Nam IV, 26, 5 machinas et c. 27, 1 Alcetae legionem commemorat, quae nisi cum Cratere venire non potuerant.

5) Arr. IV, 26, 5—27, 4.

6) Arr. IV, 27, 2 princeps *ffyzfiiov roo ^mpiou* vocatur. Possis igitur non de principe sed de mercennariorum militum duce cogitare, sed Arrianum nomina „t!n:ap-/oc? et „ijfs/j.mu' promiscue usurpare infra videbitur. Itaque cum Assacenorum principis mentio non amplius fiat, ille Assacenus accipiendus est, cuius nomen Arr. IV, 27, 4 adfertur. Etiam hac ex re concluderim, Arrianum auctore usum esse, qui ante omnia res bellicas respiceret, omnia vero, quae eo non pertinerent, strictim enarraret. Quod et ipsum in Ptolemaeum cadit.

salute desperantes missis legatis pacti sunt, ut propugnatores urbis Alexandri copiis immiscerentur. Itaque oppido relicto haud procul a Macedonibus castra fecerunt, sed paulo post mutato consilio condiciones abnuere et nocte confugere statuerunt. Alexander, qui tantam militum multitudinem, quorum pugnandi ardorem expertus esset, invictam relinqui nollet, de consilio eorum certior factus eadem nocte Indos undique cinctos trucidari iussit. Continuo Macedones victores in urbem defensoribus nudam intraverunt<sup>1)</sup>. Urbs direpta est; in captivorum numero etiam mater et filius interfecti principis inventi sunt<sup>2)</sup>.

Massagis captis relinquebatur, ut cetera loca in deditionem acciperentur. Itaque Coenus ad Bazira oppidum<sup>3)</sup> profectus est, Attalus Alcetas Demetrius Ora cum copiis missi sunt, ut locum obsiderent, dum rex cum mole exercitus advenisset \*). Qui Indos excursionem facere conatos reiecerunt urbemque undique cinxerunt. Alexander primo Bazira contendere statuerat, ubi Coeno non cesserat res, sed ad Ora urbem iter flexit, quo legatos Abisaris regis inrepsisse audierat<sup>4)</sup>. Abisares trans Indum flumen in finitima regione regnabat, quae nunc Kaschmir vocatur<sup>5)</sup>, et Macedonibus videbatur infestus esse. Qua re Coenum praesidio ad Bazira relicto Ora petere iubet. Ora primo impetu capta sunt. Quo facto Bazira a defensoribus, qui frustra eruptionem in oppugnatores relictos fecerant, tradita sunt. Ipsi in Aornum montem con-

1) Macedonum in obsidione oppidi circiter viginti quinque cecidisse Arrianus IV, 27, 4 memorat. Vel hoc numero Ptolemaeum auctorem indicari verisimile est. Nam aliis quoque locis, ubi Ptolemaeus videtur subesse, idem caesorum numerus invenitur. (cf. Arr. I, 16, 4; IV, 17, 6).

2) cf. append. IX.

3) Beira a Curtio VIII, 10, 22 locus vocatur, sed commemoratur ante Massagorum obsidionem.

4) Arr. IV, 27, 5. cf. append. X.

5) Arr. IV, 27, 7.

6) Lassen II p. 146 adn. 1, qui etiam de situ horum locorum agit.

fugerunt, quo omnes eius regionis incolae undique conveniebant<sup>1)</sup>). Qui mons solus ab Indis etiam tenebatur. Cetera enim loca omnia in laeva ripa Cophenis sita Macedonum imperio iam parebant. Massaga et Ora rex praesidiis firmavit, Bazira firmioribus muris circumdedit<sup>2)</sup>). Quin etiam, cum Perdiccas et Hephaestio interea, quae iussi erant, omnia essent exsecuti, regionem, quam subegerat, constituere iam potuit et Nicanorem satrapen fecit provinciae, cui nomen datum est citeriori<sup>3)</sup>). Deinde Peucelaotide urbe, quae prope Cophenis fluminis ostium sita erat, in deditionem accepta praesidium Philippo duce imposuit ceteraque oppida ad Indum flumen sita recepit<sup>4)</sup>).

Quibus effectis Alexander ad Embolima urbem exercitum duxit haud procul a monte famoso sitam<sup>5)</sup>). Craterum cum parte exercitus ad urbem reliquit et frumentum undique congerere iussit, quia obsidio arcis diuturna fore videbatur. Nihilominus eam adoriri statuit, sive quod locum munitissimum indomitum relinquere noluit, sive quod re periculosa incitatus est. Utrumque eum movisse neque recte eos existimare puto, qui Alexandrum sola ratione belli ductum Aornum oppugnare coepisse contendunt. Optime enim locum haud ita magno circuitu circumscriptum parte copiarum cingere et obsidionem eius alicui e legatis permittere, ipse autem cum

1) Arr. IV, 27, 7—28, 1.

2) Arr. IV, 28, 4. De Baziris Arrianus verbo „ixTsc-(i'stv' utitur, quod Schuffert p. 14 vertit: „baute wieder auf". Sed urbs non erat diruta. ixTBc/cZsev significat „muris firmare". Praesidium impositum esse consentaneum est. Ceterarum urbium munimenta regi sufficere videbantur. Situm locorum certo definire non possumus.

3) Arr. IV, 28, 6: „Tjc. p.kv /mpaq rf/q ixl TaSe roS 'MoS". Nicanor idem videtur esse, qui Alexandriae praefectus remanserat. (IV, 22, 5.)

4) Arr. IV, 28, 6: „6 3k xai iilka TtpooTj/dj-^To pexpd xoXirr/iaTa etc.", ubi „/> Sk' certe ad Alexandrum, non ad Philippum referendum est.

5) Arr. IV, 28, 7. Ne hic quidem locus accurate significari potest. Cunningham p. 58 sq. montem, qui nunc Kanigat vocatur, Aornum esse vult. Sed alii dissentiunt (cf. Grote I. I.).

multo maiore exercitus parte pergere bellum gerere potuit. Bello finito ceterisque Indiae regionibus subactis fieri non potuit, quin Aornus sine sanguine reciperetur. Cum nihilo minus obsidionem periculosam susciperet, ne tum quidem Alexandrum gloriae periculorumque cupidine se abstinere potuisse existimo.

Itaque cum copiis electis<sup>1)</sup> ad montem contendit binisque castris ad eum pervenit<sup>2)</sup>). Prospere evenit, ut arx munitissima facile occuparetur. Vix enim rex ad montem exercitum adduxerat, cum indigenae regionis periti se duces locorum fore polliciti sunt. Acceptis condicionibus Ptolemaeum cum manu expedita misit, ut loco edito prope arcem sito potiretur. Omnia cesserunt. Occupato colle Ptolemaeus locum teneri ignibus significat. Quod cum cognovisset, Alexander protinus postero die a meridiana parte montem adortus est, sed acerrimo proelio facto in castra redire coactus est. Hoc pugnae exitu animis eiati, Indi Ptolemaeum ex loco, quem occupaverat, propulsare studebant, sed repulsi a Macedonibus nocte appropinquante in arcem se receperunt. Insequenti die Alexander impetum ita constituit renovare, ut, dum ipse montem a radicibus adoriretur, Ptolemaeus a tergo in hostes incumberet. Prima luce pugnari coeptum est. Alexander non iam lata via procedere conatus est, sed id egit, ut semita illa, qua Ptolemaeus escendisset, montis cacumen peteret et cum Ptolemaeo copias iungeret. Vehementi proelio post meridiem postremo effecit, ut ad Ptolemaei castra perrumperet. Alexandrum a Ptolemaeo sublevatum esse Arrianus non tradit, fortasse ille Indos incurrentes satis habuit arcere. Quibus effectis, Alexander arcem, quam vi capere non posset, lege artis oppugnare statuit. Arboribus caesis aggerem in vallem duci iussit, ut expeditus ad arcem aditus fierot. Simul funditoribus et tor-

1) Arr. IV, 28, 8 enumerantur sagittarii et Agrianes, Coeni legio, ex ceteris peditibus electi omnium ordinum, ducenti comites, centum hip-potoxotae.

2) cf. append. XI.

mentis dispositis Indos opus impedire prohibuit. Quarto die rupes capta est arci coniuncta simulque summo cum studio agger struebatur. Indi vero, ubi oppugnatores non desinere aggeremque propius in dies duci viderunt, armis positos omnia, quae vellet, facturos se esse pollicentur. Sed accidit idem, quod Massagis acciderat. Alexander enim, hostes noctu confugere velle certior factus, ne labores ad inritum caderent, quae facienda essent, diligenter providit. Postquam Indi profecti sunt, cum exercitu vallem transgressus in hostes iter facientes a tergo impetum fecit: fugientes partim cecidit partim in voragine deiecit. Quo facto ultimum barbarorum propugnaculum expugnatum erat. Alexander munimenta refici praesidioque firmari iussit; Sisicottum loco praefecit <sup>1)</sup>.

Capto monte, cum intra Indum et Cophenem flumen nihil hostium relictum esset, nihil iam Alexandro obstabat, quominus exercitum eo duceret, ubi Hephaestio et Perdiccas adventum eius exspectabant, ut copiis coniunctis Indum flumen transgressus in interiorem terram invaderet. Sed antequam hoc faceret, in Assacenorum fines redire coactus est, ubi fratrem principis, qui Massagis interfectus erat, magno contracto exercitu elephantisque nonnullis conlectis ad Dyrta urbem in montibus sitam versari audierat<sup>2)</sup>. Sed eo cum pervenisset, oppidum regionemque deserta invenit. Qua re Nearchus et Antiocho, hypaspistarum chiliarchis, cum copiis<sup>3)</sup> ad loca exploranda elephantosque capiendos missis, ipse, cum omnis regio invia et impedita esset, temere ad Indum flumen profectus est<sup>4)</sup>. Tandem deprehensi Indi incolas elephantis omnibus re-

1) Arr. IV, 29, 1—30, 4. cf. append. XII.

2) Arr. IV, 30, 5—6. Locus accuratius significari nequit. Ex re ipsa efficitur, eum magis in septentriones spectasse,

3) Arr. IV, 30, 5—6. Nearchus *rou\$ 'Apiavas rois (piXobs dedit, Antiocho suam chiliarchiam duasque alias. cf. append. VIII.*

4) Droysen p. 121 Alexandrum a Nearchus et Antiocho de locorum natura certiore factum ad Indum contendisse putat.' Sed apud Arrianum nihil invenimus, quo haec sententia comprohetur, Verba eius haec sunt

lictis trans flumen ad Abisarem regem confugisse nuntiant'). Qua re hostes longius persequi inutile esse ratus ad Indum flumen contendere perrexit, ubi Hephaestionem et Perdiccam conveniret. Elephantos ab incolis relictos Indis adiuvantibus cepit, non tam ut in bello eos adhiberet — neque enim unquam iis usus est —, quam ut agmen sequerentur et fortasse quando in triumpho ducerentur. Quaecumque in terra fabulosa invisa et inaudita inveniebat, iis animus eius vehementer commovebatur. Qua re, simul ac de bestiis illis audivit, summo studio iis potiendi captus velut multa pace in venationibus cum comitibus versatus est Alexander in Indiam non solum ut imperator et expugnator profectus est, qui imperii fines certo consilio propagare vellet, sed etiam incerto quodam studio terras incognitas visendi tractus, ut splendore earum animum imbueret. — Brevi exercitus ad Indum flumen pervasit navibusque exstructis secundo amne devectus sine ullo incommodo ad pontem pervenit ab Hephaestione et Perdicca iam dudum flumini impositum<sup>2)</sup>.

Qui intera omnia, quae perficere iussi erant, summa diligentia erant executi. Sine mora usque ad flumen pervenerant<sup>1)</sup> et pontem facere coeperant, cum Astem, Peucelaotidis

IV, 30, 6: *iorilhivro* (sc. Nearchus et Antiochus) *rd rs %wpia xarocjdfisvot* etc. *aürbs Sk wq ixl rbv 'Ivdbv izorapbv rjdrj rjye , xal r) arparia aurw wdoixotsiro izpoaw iouoa Strropa cthlw; iivra rd raurrj %wpia.* Chiliarchi et Alexander hic quodam modo inter se ita opponuntur, ut utrosque simul profectos esse necesse sit. Accedit, quod Alexandri non erat quietem agere et rem periculosam legatis permittere. Immo, si loca explorari voluisset, ut exercitui iter expediret, id haud dubie ipse fecisset.

1) cf. append. XIII.

2) Arr. IV, 30, 7. Curtius VIII, 12, 4 Alexandrum ab eo loco, ubi Erici occurrisset, „sexstis decumanis castris" ad Indum flumen i. e. ad pontem pervenisse perhibet. Sed cum neque ex illo loco, ubi Curtius id factum esse dicit, iter tam longum efficere possimus, neque ab oppido Dyrta ad flumen tantum spatium fuisse possit, neque omnino vensimile sit, eius modi numerum servatum esse, facere non possum, quin hunc Curtii numerum plane omitam.

3) Arr. IV, 22, 8.

principem, defecisse audiunt. Hephaestio statim revertit') et triginta diebus urbem, in quam princeps profugerat, expugnavit. Astes ipse occisus est. Alexander urbem Sangaeo permisit, transfugae ex Peucelaotide, qui Taxili se applicaverat et ob hoc fidus videbatur esse<sup>3)</sup>. Conligi hinc potest, Alexandrum omnia semper cognita habuisse, quae cum altero exercitu fierent. Quo facto Hephaestio et Perdiccas Orobatim urbem<sup>3)</sup> munitioibus praesidioque firmarunt et ad Indum flumen redierunt, ubi ponte celeriter perfecto Alexandri adventum exspectaverunt. Pons infra Copenis ostium positus esse videtur, haud procul ab urbe, quae nunc Atok vocatur, quo loco etiam hac aetate via ferrata trans Indum flumen ducit<sup>4)</sup>. Univer|us

1) Arriani verba I. 1.: „*xa'c ouroc atpixonro Tlphc. rby 'JvSdv rzo-rapbv, iizpaaov baa H; AXs^dvSpou r)v rera/iiva "Aorjic Sk . . .*” quam aliter accipi non possunt, tamen Droyesen p. 114 Hephaestionem et Perdiccam iam tum Asti bellum intulisse censet, cum ad flumen contenderent. Ex verbo „*vs>Tspcoac*” efficitur, Astem primo aut ipsum aut per legatos in Alexandri potestatem se permisisse et post demum a fide societatis Macedonum defecisse. Itaque non probabile mihi videtur, quod Droyesen eum ab initio hostem se praebuisse scribit, deinde vero Macedonum successu et Assaceni interitu perterritum in arcem quandam confugisse et ab Hephaestione, qui ab occidente accederet, oppressum esse existimat. Vix enim quisquam sibi persuadebit, Hephaestionem toto illo tempore, quo Alexander usque ad Masaga pervenisset urbemque cepisset — tum enim interfectus est Assacenus —, non longius, quam ad illum locum progressum esse.

2) Droyesen p. 114 et Lassen II, p. 135 Sangaeum unum ex regulis eius regionis fuisse et ab Aste expulsum esse dicunt. Sed haec est coniectura; nam Arrianus nihil amplius de eo tradit.

3) Arr. IV, 28, 5. Droyesen p. 114 adn. 2 et Lassen n, p. 135 adn. 3 urbem, id quod satis probabile est, prope Khyber-saltus, qui dicuntur, sitam fuisse putant. Sane saltus illi plurimi erant momenti firmatique eos utique opus erat.

4) Ex Strabonis loco XV, p. 698: „*rjdrj cik npbc. rtp IvSw ir&hv aXr/ ~bhc Iluxehuric, -pb\$ fj [xard* inseruit Miiller „Die Alexander-geschichte nach Strabo” Wuerzburgae 1882 p. 44] *^eu/pa yevrji/kv iize-paiaioe rrjv ar/>arcdv*” nihil effici potest. Droyesen p. 122 adn. 1 pontem intra ostium et Embolima urbem, scilicet supra Copenis fluminis ostium, traiectum esse opinatur, in quara sententiam iam Carolus E i l l e r (cf.

exercitus aliquamdiu quievit'). Eodem loco regem Taxilis legati adierunt<sup>2)</sup>, cuius regnum ab Indo flumine usque ad Hydaspem pertinebat. Qui cum alia dona opulenta miserat, tum triginta<sup>3)</sup> elephantos et septingentos equites auxiliosos et se suaque omnia eius potestati permissurum pollicebatur<sup>4)</sup>.

Ineunte vere<sup>5)</sup> anni n. aev. 326 Alexander sollemnibus sacris et splendidis ludis editis Indum flumen transgressus in interiorem Indiam intravit. Agmen Taxila pervenit, ubi et a principe et ab incolis comiter et benigne exceptum est. Taxiles, qui imperio Alexandri se subiecit, regnum retinuit auctum insuper et amplificatum<sup>6)</sup>. Postquam hoc modo Macedones victores Indum flumen traiecerunt et regem, qui inter hoc flumen et Hydaspem plurimum valebat, in deditionem acceperunt, Abisares quoque satius esse ratus Alexandrum legatione adire, fratrem suum aliosque gentis principes Taxila

„Asien” IV, 1 p. 451) scripsit. In commentatione, quam scripsit de Alexandri expeditione ad Caucasum Indicum suscepta p. 171 et 172 de hac re nihil certi adfert. Verum cum incolae nunc quoque plerumque dextra Copenis fluminis ripa utantur, et quae expectandae essent copiarum supplementa, sine dubio eadom via venturi essent, equidem pontem loco aliquo infra ostium sito factum esse arbitror. Accedit, quod Arrianus Alexandrum per Indum flumen navibus decurrisse perhibet. Melius autem id explicatur, si eum longius a ponte a fuisse et Cophene flumine interiecto ab eo disiunctum fuisse statuimus.

1) Diodorus XVII, 86, 3 exercitum triginta dies eo loco mansisse dicit, sed suspectus mihi numerus videtur esse, praesertim cum XVU, 89, 6 eundem inveniamus. Tam diu Alexandrum ad flumen moratum esse non crediderim, quia Taxila urbs non procul aberat, ubi multo commodius erat quiescere.

2) Huc quadrat Curt. VIII, 12, 6 „is benigne quidem exceperat Hephaestionem, gratuitum frumentum copiis eius admensus.”

3) Non viginti quinque, ut Lassen II p. 152 adnotat

4) Arr. V, 3, 5-6.

5) Hoc Aristobulus testatur apud Strabonem XV, 1, 17 p. 691.

6) Arr. V, 8, 2 cf. append. XIV. De fontibus cf. append. XV.

misit <sup>1)</sup>). Idem Doxaris fecit ex finitimis regulis <sup>2)</sup>. Tjnus Porus, quocutn Taxiles veteres inimicitias gerebat <sup>3)</sup> j, imperium detrectare videbatur. Taxila urbs praesidio imposito novae provinciae addita et Philippo, qui antea Peucelaotidi oppido praefectus erat <sup>4)</sup>, ut satrapae permissa est. Sed fines provinciae propagare statuerat rex, ut omnem regionem intra amnes in Indum flumen infuientes sitam complecteretur. Hoc sibi iam plane proposuerat et summa industria persecutus est <sup>5)</sup>. Omnibus deinde militibus, qui ad proelia non satis apti videntur, Taxilis relictis <sup>6)</sup> exercitu denuo constituto contra Porum profectus est, quocum certamen imminerebatur <sup>7)</sup>.

1) Arr. V, 8, 3; Curt. VIII, 13, 1. — Praenkelium, qui p. 236 hoc quoque ad Onesicritum revocari velit, relutare opus non est, quia falsa illa conclusione id effecit, de qua append. XV diligentius egi. Curtius rem fortasse ex Aristobulo sumpsit, quem Arrianus quoque sequitur.

2) Arr. V, 8, 3

3) Curt. VIII, 12, 13, qui Aristobulum sequi videtur. cf. append. XV.

4) Arr. IV, 28, 6.

5) Arr. V, 8, 3: „x<t anodeH-cu; oaTpaTxyjv TWV TauTij 'vdutv iHhn-7zov rbn Maydra". Quamquam IV, 28, 6 regionem aliter significat, tamen certe eadem accipienda est provincia, quia Philippus postea quoque non urbi praefectus sed totius provinciae satrapes inducitur. Nicanorem, qui supra satrapes commemoratus erat, remotum esse supplendum est. Qua re non sine veritatis specie conicere possumus. Arrianum hoc loco alium fontem ac supra secutum esse, atque cum altero loco Ptolemaeo, altero Aristobulo usus esse videatur, verisimilius est hoc quidem loco de Aristobulo cogitare.

6) Arr. V, 8, 3. In Alexandri Magni rem militarem qui inquit, omnes huius modi locos diligenter respicere debet. Nam quotienscumque copiae aut minuerentur aut auferentur, exercitus partes mutatas esse, per se intellegitur.

7) Curtius VIII, 12, 5 sq. Alexandrum per triduum a Taxile hospitaliter exceptum esse, quarto die eos inter se donasse, „postero die" (VLU, 13, 1) legatos Abisaris regem adiisse refert. Quot postea intercesserint dies, antequam Alexander contra Porum proficisceretur, non memorat. Dubitari licet, num eius modi res levissimae a rerum Alexandri Magni scriptoribus memoriae proditae fuerint, cum rerum multo graviorum saepe deteriorem habeamus notitiam. Sin autem Curtio fidem habeamus, scriptore usus est, qui et ipse Taxilis fuisset et quae ibi facta essent diligentissime enarrasset. Quod si ita est, nos quidem, quantum de scriptoribus eius aetatis cognitum habemus, de solo Aristobulo cogitare possumus. (cf. append. XV.)

Porus enim, qui ultra Hydaspem flumen regnabat, neque se subiecerat imperio Macedonum, neque legatos miserat, sed armis decertare paratus esse videbatur. Magno coacto exercitu <sup>1)</sup> ulteriorem fluminis ripam occupaverat, ut hostem transitu prohiberet. At tamen Alexander nominis sui fama confisus de deditioe cum rege per legatum agere conatus est, sed superbo responso accepto rem ad arma deduci intellexit <sup>2)</sup>. Diligenter igitur et caute omnia, quae ad flumen traiciendum necessaria erant, providit. Inceptum erat audacissimum, quia pluviae aestivae effundi iam coeperant omnesque eius regionis amnes in immensum accreverant <sup>3)</sup>. Qua re Goenum ad Indi ripas remisit, ut navigia, quibus exercitus transmissus esset, ad Hydaspem portaret, ubi rursus composita in aquam demitterentur <sup>4)</sup>. Deinde cum omnibus copiis et quinque milibus

1) Arr. V, 15, 4 Poro, cum Alexandro flumen transgresso occurreret, quattuor milia equitum, triginta miha peditum, trecentos currus, ducentos elephantos fuisse tradit. Eisdem fere numeros Curtius VIII, 13, 6 praebet: triginta milia peditum, trecentos currus, centum octoginta quinque elephantos; equites omittit, sed paulo infra VIII, 14, 2 eundem numerum, quattuor milia, exhibet. Diodorus XVII, 87, 2 discrepat: quinquaginta milia peditum, tria milia equitum, mille curru9, centum triginta elephantos dicit. Plutarchus c. 62 viginti milia peditum et duo milia equitum commemorat. Arrianum et Curtium, qui paene consentiant, eos numeros attulisse puto, qui a Ptolemaeo et Aristobulo traditi essent. Arrianus autem, cum non hoc loco, sed infra, ubi proelium enarret, numeros commemoret, fortasse Ptolemaeum secutus est, quem in proelio illo describendo omnino exscripsisse videtur. Diodorus et Plutarchus diversas exhibent relationes.

2) Curt. VIII, 13, 2. Arrianus hoc non tradit, sed cum res per se ipsa satis probabilis sit et hoc loco iam aliqua Aristobuli, quae videantur esse, vestigia apud Curtium invenerimus, eam recipere nullus dubito. In iis, quae sequuntur, Curtius rursua deteriore fonte usus est.

3) Arr. V, 9, 3 et Strabo XV, 1, 17 p. 691. Strabo Aristobulum testem laudat.

4) Arr. V, 8, 4: „rd TzXota boa Tzapsosuaaro aurtu irzi rou rzhpou TOU 7M?U<3". Quenam intellegendae sint naves, incertum est. Bis enim supra Arrianus navigia exstructa esse perhibet, IV. 30, 8 ubi Alexandrum per Indum flumen ad pontem decurrisset, et V, 3, 5 ubi ab Hephaestione Tzhiia -oAkd pkv aptpaTepa, ouu o't rptaxovrbpou; aedificata esse memorat. Horum Diodorus quoque XVII, 86,3 mentionem facit, cum Curtius ea omittat.

auxiliarium, quos Taxiles alique eius regionis principes miserant, ad Hydaspem flumen processit. In ulteriore ripa Porus omnibus locis idoneis ad transeundum occupatis cum maiore exercitus parte ipse castra posuerat hosti adventanti opposita. Qua re cognita Alexander, cum in conspectu hostium flumen superare non auderet, per complures dies operam dedit, ut hostem falleret et ab eo loco, quo traiecturus esset, averteret. Exercitum enim in partes divisum secundum ripam perpetuo discurrere navigiaque omnia in flumine vagari iussit, tanquam transeundi opportunitatem quaereret. Sic effecit. ut Porus semper sollicitaretur animumque ad omnia loca attenderet, neque tamen, quid hostis facturus esset, certo cognoscere posset. Frumentum simul undique in castra comportavit et rumorem sparsit, non ante se transitum conaturum esse, quam autumno exeunte amnes rursus tenui aqua fluere coepissent. Sane Alexander, etiam si spem belli brevi tempore conficiendi non dimitteret, tamen ad omnes casus se comparasse videtur. Neque enim, sicut in Granico flumine, fieri poterat, ut in conspectu hostium traiceret: flumen erat aliud, neque idem erat hostis. Itaque ea, quae Pori decipiendi causa suscepterat, non intermisit et postremo adsecutus est, quod appetebat. Compluribus enim continuis noctibus multo cum clamore et tumultu exercitus tanquam flumen transnaturus ad ripam concedebat, ita ut Porus, quae ab hostibus agerentur, non iam animadverteret et in castris maneret'). Quae ubi cognovit, Alexander opportunum temporis momentum adesse vidit.

Circiter viginti octo kilometra adverso flumine naviganti locus erat ad transeundum opportunissimus. Inflectit enim flumen cursum et ripis densa silva tectis insulaque silvestri in medio alveo sita facillimum praebuit transitum. Eo loco Alexander exercitum traicere constituit. Cratero igitur cum

1) Apud Polyaeum IV, 3,9 reā eodem modo narrata est.

valida manu') in castris relicto, et Meleagro Attalo Georgia cum peditibus equitibusque mercennariis<sup>2)</sup> in ripa inter castra et insulam dispositis, satis magno a flumine intervallo cum optimis copiis<sup>3)</sup> ad locum, quem elegerat, contendit. Nocte cum eo pervenisset, omnia, quae ad transitum necessaria erant, paravit. Tempesta quoque inceptum adiuvit vehementibus imbribus et tonitribus coortis, quae militum motus celarent. Itaque prima luce, ubi imber et ventus remiserunt, copias navigiis impositas in adversam ripam transmisit\*), simul et ipse Ptolemaeo, Perdicca, Lysimacho comitantibus cum dimidio hypaspistarum regionum<sup>4)</sup>, quibus Seleucus prae-

1) Arrianus V, 11,8 Crateri hipparehiam, equites Arachosios et Paropamisadas, legiones Alcetae et Polysperchontis, Indorum auxilia, quibus ipsorum principes praeerant, commemorat. Principes cum hoc quidem loco *Mfidpxat*, non *ii-ap.ot* ut V, 8,5 dicantur, haec nomina ab Arriano promiscue usurpari sequitur. Quod *Droysen* Doxarim cetelosque principes „Gaufursten“ appellat, quasi *vopdp^rjc* inferior dignitate quam *u-ap%oc* fuerit, non est probandum.

2) Arr. V, 12,1: *^t-by r«c /aoHotpboic 'nz-euoi TE xat -e^iic\**. Cum Arr. IV, 22,7 peculiare Georgiae et Meleagri „*rd-et<*“ commemorentur neque veri simile sit, eos in hoc proelio aliis copiis praefuisse, congligere licet, eorum *T«^EE(C* non Macedonum sed mercennariorum fuisse, et nomen *^rafif*“, id quod per se veri simile est, non solum de phalange Macedonum, sed etiam de aliis copiis usurpari. In Attalum fortasse idem valet, neque niconsulte alio loco Arriani (IV, 16,1) eosdem duces una commemorari puto. Sed de Alexandri Magni re militari hac quidem dissertatione diligentius non quaeram. cf. append. XVIII.

3) Arr. V, 12,2 equitum regia ala, Hephacationis Perdiccae Demetron hipparchiae, Bactrianorum, Sogdianorum, Scytharum equites, equites sagittarii *{^ddac TOU<*; *fmroToforaj*“), peditum hypaspistap, Cliti et Coeni legiones, sagittarii et Agrianes commemorantur.

4) *Droysen* p. 132 Macedones dicit supra insulam transiisso. Quod ab Arriano quidem non traditur, sed consentaneum est, quia sic ab hostibus infra insulam tendentibus conspici non poterant.

5) Arr. V, 13,1 traditum habemus: „*TWV O-aoKioTww oi ^/j.ioeoc\**. Sed universum hypaspistarum agmen accipi nequit, quia peditum sex milia traiecta esse idem Arrianus V, 14,1 testatur, quorum maiorem partem hypaspistas fuisse consentaneum est. Qua re aut *ayr/j.a* eorum intellegendum est,

erat, *ρπιαxovzopa*) consensa in ulteriorem ripam transnavavit. Vix autem navigia insulam praetervecta erant, cum ab hostium exploratoribus conspecta sunt, qui statim ad Porum properavere Macedones adesse nuntiantes. Cito igitur Alexander naves appelli militesque egressos in ordines ire iussit. Sed cognovit, in alteram insulam naves appulsas esse, quae fluminis auctu effecta erat. Itaque rivo, qui interiectus erat, quam celerrime superato exercitum incolumem in ripam eduxit. Summa celeritate opus erat, ut inceptum audacissimum prospere eveniret. Itaque acie instructa nihil moratus hosti obviam ivit. Peditatu lento agmine subsequi iusso cum equitatu universo <sup>1)</sup> citatis equis et sagittariis processit, ut hostes, si fieri posset, inopinantes opprimeret<sup>2)</sup>. Brevi tempore cum hoste concurrat. Porus enim de Macedonum incepto certior factus filium cum manu praemisit, ut hostes, quos paucissimos esse opinabatur, in flumen reiceret, sed falso nuntio deceptus minorem misit manum<sup>3)</sup>. Itaque Indi statim in fugam coniecti sunt: quadringenti interfecti sunt, in eo nu-

aut — id quod veri similis est — regii hypaspistae soli, quibus infra IV, 13,4 Seleucus praeesse dicitur. Droyesen p. 132 incerte electam manum („eine auserlesene Schaar Hypaspisten“) dicit.

1) Sex milia peditum et quinque milia equitum Alexandrum in hac pugna secum duxisse Arrianus V, 14,1 et V, 18,3 perhibet. Pedites erant hypaspistae, sagittarii, Agrianes (et acontistae). cf. Arr. V, 13,4. Quam ob rem non intellego, quo iure Droyesen p. 132 hypaspistarum sex milia et levis armaturae militum quattuor milia fuisse dicat. Etiam Koehly et Buestow I. I., qui proelium diserte describunt, Arriani testimonio neglecto p. 300 quinque milia hypaspistarum commemorant. Fortasse Arr. V, 13,4 scribendum est non *ot 'Afinve^ xai oi dxovTiarai*, sed *ot 'Apyiaves oi dxovTiarai*. cf. Arr. I, 14,1.

2) Droyesen p. 133 Alexandrum „eine halbe Stunde weit“ processisse refert. Apud Arrianum quidem nullum intervallum traditum habemus, sed Plut. Alex. 60, qui epistolam regis ipsius laudat, viginti stadia eum progressum esse memoriae prodit. cf. append. XVI.

3) Aristobulus sexaginta currus, Ptolemaeus duo milia equitum et centum viginti currus fuisse adfirmat. (cf. Arr. V, 14,3 et 6).

mero Pori filius, ceteri effugere. Currus, qui in campo lubrico haerentes nulli usui essent, capti sunt omnes <sup>1)</sup>).

Porus ubi Alexandrum ipsum cum mole copiarum flumen traiecisse cognovit, parvo militum numero in castris relicto, hostibus celeriter adventantibus obviam profectus est<sup>2)</sup>. Locum idoneum nactus, ubi equitatu uti liceret, aciem ita instruxit, ut in fronte ante signa elephantos conlocaret, pedites post bestias constitueret, equites currusque ad latera disponderet. Alexander interea exspectabat, dum pedites subsequerentur. Qui cum cursu advenissent, omnia, quae opus erant, ordinavit. Sicut facere solebat, ipse cum equitatu in laevum hostium cornu primum impetum facere statuit, Coenum cum duabus alis quam maxime in dextram partem discedere iubet<sup>3)</sup>, ut in temporis discrimine hostes a latere adoriretur; Seleuco, Antigeni, Tauroni peditum praefectis praecepit, ut, simul atque Indi equitum impetu perturbatos vidissent, in laxatos ordines summa vi incumberent<sup>4)</sup>. Omnia prospere evenerunt. Nam postquam hippotoxotae hostem perturbaverunt, equites Macedonum rege

1) Arr. V, 14,3—15,2 cf. append. XVI.

2) Numeri, quos Arrianus hoc loco (V, 14,4) adfert, non ad universum exercitum, sed ad eas copias, quas Porus ipse eduxit, pertinere videntur. Sed tamen de universo exercitu accipiendi sunt, quia partis copiarum numerum memoriae proditum fuisse parum probabile est.

3) Quae apud Arrianum V, 16,3 exstant verba: *^Koirov dk ne/u7zec u>Z izi rb iSeEltbv* Koehly et Ruestow I. I. p. 302 adn. 41 iure sic interpretati sunt. Statuendum est, et a Ptolemaeo et ab Alexandro (in epistula illa) his ipsis verbis rem relatam fuisse. Verba enim „&>< iiti T!! deqvv“, etsi dubia sunt, tamen recte intellegi possunt. Plutarchus ea prave accepit (cf. append. XVI); eundem errorem Curtius<sup>3</sup> (VHI, 14,15: „cum ego ... in laevum hostium cornu impetum fecero ..., ipse dextrum move ...“) commisisse videtur, cuius verba aliter explicari non possunt. (cf. append. XIX). Apud Polyaeum IV, 3,22 Alexandri acies recte describitur. Cum vero Pori exercitum cum muris et turribus comparet, et Porum elephantos in Macedonum equites egisse dicat, apparet, communem ei cum Curtio fontem fuisse. (cf. append. XIX).

4) Ad hunc quoque locum Droyesen p. 138 falso adnotat, sex milia hypaspistarum ei pugnae interfuisse.

duce impetum fecerunt et, cum simul Coenus a latere et tergo invaderet, hostium equites fugatos post elephantos reiecerunt<sup>1)</sup>. Simul pedites progressi cum elephantis, qui porro agebantur, concurrerunt. Iam Alexander hostium equitatu iterum represso cum universis equitibus in unam aciem coniunctis a latere et tergo in pedites prorupit eosque ad elephantos compulit. Itaque, cum etiam elephantis ab hypaspistis et Agrianibus fugere coacti essent, Pori exercitus, equites, pedites elephantique ordinibus solutis in unam turbam conglobatus est, quam beluae vulneribus defatigatae et consternatae obterebant, dum Macedones undique adgressi trucidant et stragem edunt vel maximam. Craterus quoque ceterique duces, qui in dextra fluminis ripa remanserant, flumen transgressi sunt et caedem auxerunt. Pori exercitus deletus est paene omnis<sup>2)</sup>.

Porus fugam non ante capessivit, quam aciem perruptam perditasque res vidit. Alexander Taxile praemisso eum monuit, ut victori se dederet, sed Taxiles ab hoste telo petitus letum vix evitavit. Porus fugere non destitit, dum a Meroe, veteri amico, quem Alexander internuntium miserat, commotus se dedit et ad Alexandrum duci iussit. Alexander hosti obviam vectus magnitudinem<sup>3)</sup> Pori pulchritudinemque mira-

1) Currim cum Arrianus non amplius mentionem faciat, conligi potest, eos in pugna haud magni fuisse momenti. Sed errat D r o y s e n , qui p. 138 currus in extremo laevo cornu dispositos fuisse dicit. Nam eos in utroque cornu ante equitum aciem conlocatos fuisse Arrianus V, 15,7 testatur. Fortasse Porus, postquam priori proelio curruum nullum usum esse cognovit, iis ne usus quidem est.

2) Arrianus, qui in proelio describendo Ptolemaeum sequi videtur, V, 18,2—3 Indorum viginti milia peditum, equitum tria milia caesa esse memorat. Macedonum cecidisse dicit decem hippototas, viginti *kraipouti*, ducentos aliorum ordinum equites, pedites octoginta ex sex milibus, qui initio proelii Indis oppositi essent. cf. append. XVII.

3) Arr. V, 19,1: „*u-kp nevre -ff/eit; pdkuna*“ Plut. 60: „*u-spai-puv Teoedpav r.r/fhvj amflanj rb pfixoc*“; Diod. XVII, 88,4: „*TO pfixoc. fy -TJZVV -SVTE*“. Arrianus certe Aristobulum sequitur (cf. p.39 adn. 1), Plutarchus fortasse Onesicritum exscripsit, quem in hac vitae parte saepius laudat, Diodorus tertiam relationem praebet.

tur et quid secum fieri velit interrogat; Porus »*ftaioihxu>c poc \*/prjaat*“ inquit „& *'Atefa>dpE*~. Cum instaret, ut certum quid rogaret, Porus omnia in illo verbo inesse respondit<sup>1)</sup>. Alexander Poro regnum non solum incolome, sed auctum insuper et amplificatum reddidit, eoque in posterum socio usus est fidissimo<sup>2)</sup>.

Proelio acerrimo confecto copiis lassis ante omnia quiete opus erat. Exercitus in castris loco pugnae positus mansisse videtur. Mirum enim est, quod nemo scriptorum capitibus eius regionis mentionem facit. Quod casu factum esse persuadere mihi non possum, quia et antea semper et postea saepius nomina capitum cuiusque gentis a scriptoribus adferuntur<sup>3)</sup>.

1) Arr. V, 18,4—19,2. Haec Arriani relatio nunc quidem ab omnibus recepta est, sed non ita antiquitus fuisse, ex Curt. VIII, 14,31—46 elucet. Fraenkel p. 134 probabili coniectura, quamquam non semper tirmis argumetis nititur, Aristobulum hoc loco Arriano subesse contendit. Certe c. 18,3, ubi caesi et capti enumerantur, ipsa proelii descriptio finita est. Quae sequuntur tam diversi sunt generis, ut haud dubie alii auctori tribuenda sint. Iam vero cum Arrianus oratione directa, quae dicitur, utatur, de uno ex primariis auctoribus cogitandum est; atque cum ea, quae praecedunt, a Ptolemaeo petita esse videantur, haec ex Aristobulo sumpta esse veri simillimum est. De proelio Aristobulus, cum Arrianus nullam discrepantiam commemoret, cum Ptolemaeo certe concinit. De ceteris scriptoribus cf. append. XIX.

2) Pugnam factam esse Hegemone archonte mense Munychione Arrianus V, 19, 3 testatur, i. e. mense Aprili vel Maio anni n. ae. 326. His non repugnat, quod Arrianus V, 9, 4 Alexandrum solstitiali tempore ad Hydaspem pervenisse refert. Recte enim D r o y s e n p. 142 adn. 2 adnotat, Arriani verba, qui „*p.dko—a*“ adiciat, premenda non esse. Praeterea huc optime ea quadrant, quae Aristobulus (Strab. XV, 1, 17 p. 692) tradidit. Alexander ineunte vere Taxila venit, neque credibile est, proelium non ante exeuntem mensem Iunium factum esse. Accedit, quod, nisi verno tempore anni proelium accidisse statuimus, tempus non suppeditat rebus, quae postea gestae sunt.

3) Ne Strabo quidem, qui XV, 1, 29 p. 698 trecenta oppida in Pori regno fuisse refert, ullum eorum nominat, quamquam supra Massaga urbem Assacenorum caput fuisse tradidit et Peucelaotim et Taxila urbes commemoravit.

Qua re eos de capite propter ea tacere puto, quod Pori regnum capite carebat. Suspikor, regnum eius ab ipso conditum neque a maioribus acceptum esse, et Porum ipsum non regem indigenam, sed imperatorem fuisse, qui imperio suo nonnullas gentes contineret neque in certa urbe aulam regiam collocasset. Quod si aliter fuisset, non dubium est, quin Alexandrum in urbem sollemniter intrasse scriptores religiose narraturi fuerint<sup>1)</sup>. Itaque conicere licet, Alexandrum in fluminis ripa aliquamdiu moratum esse, antequam finitimis gentibus bellum inferret. Eegionem modo subactam oppidis duobus firmavit, quorum alterum in loco pugnae i. e. in laeva ripa conditum Nicaeam appellavit, alterum in dextra ripa eo loco, quo transire coeperat, aedificari iussit et in honorem equi ibidem mortui Bucephala vocavit<sup>2)</sup>.

Non diu<sup>3)</sup> circa opus moratus Alexander Cratero cum parte exercitus relicto<sup>4)</sup> Glausas, finitimam gentem, adgressus est. L a s s e n<sup>5)</sup> probabilis coniectura fines gentis in septentriones spectasse et ad imos montes situs fuisse putat, ubi via in Abisaris regnum duceret. Quod si res ita se habet, Alexander ea expeditione huic quoque bellum comminatus

1) cf. Humboldt, Asien IV, 1.

2) Arr. V, 19, 4: „iva Sk rj pdyrj \$uve[trj xai e v i f e v b p / i r j » e i ? er.epaos rbv 'YSounzrv rzora/ibv TzdX.st; exrtov 'A.e^avS;<>. xai rr)v /ikv Xi-xatav . . . otvu/iaae " rijv Sk HouxetpaXa i<; r</u 'cz-ou rou EouxstfdXa. /ivrj- />.Tjv. ?><; drzejavev a u r o u. \* Ex Arriano igitur apparet, equum pugnae expertem fuisse et iam in dextra ripa ante pugnam mortuum esse. Eo minus D r o y s e n o licuit alteram relationem, qua equus in proelio conlapsus esset, in textum recipere. cf. append. XX.

3) Arr. V, 20, 1 — 4. Diodorus XVII, 89, 6 triginta dies dicit. Sed, cum Diodori fides minima sit, neque Alexandrum, qui studio porro progrediendi flagraret, tam diu cunctatum esse veri simile sit, hoc missuin faciamus.

4) Arr. V, 20, 1 : „xai uywv iiroisiro aurw yu/j.vtxbc; re xai ir.Tz- xb; aurou i-i rj by&rj rou 'YSdoTzou, ivazsp rb izpiinov Stsfirj tx/ia rS orparw". Vel hinc conligi potest, exercitum eodem loco mansisse.

5) L a s s e n II p. 164.

est, qui, etsi Macedonum regem invictum in propinquo adesse non ignoraret, tamen nullum obsequii signum edidisset<sup>1)</sup>.

Cum expedita manu<sup>2)</sup> agrum celeriter percurrit et incolas, qui resistere non audent, in deditionem accepit. Loca modo subacta Poro tradidit, qui eum secutus esse videtur. Taxilem autem Poro reconciliatum domum remisit; Porum retinuit<sup>3)</sup>. Eodem tempore legati Abisaris regis advenerunt, dona ferentes opulentissima, qui regem omnia, quae imperaret, facturum nuntiaverunt. Simul nonnullae e liberis gentibus et regulus quidam Porus nomine se imperio eius subiecerunt. Hos quidem Alexander comiter recepit, Abisari vero, qui ambiguum et hostilem se praebisset, nuntiari iussit, ipse ad se veniret; quod si nollet, se ad illum cum exercitu venturum esse. Quo responso accepto Indi redierunt, secuti sunt eos legati ultro ab Alexandro ad Abisarem missi<sup>4)</sup>. Eodem fere

1) Ex hoc Arriani loco V, 20, 2: „<vo/>.a Sk rjv rw s&vet VXau-yavixat, w<; Xeyei 'AptoroflooX.ot; wt; Sk IlroXs/iaioq, YXauoai " bTZorepm^ Sk k'%et rb bvopa ou /iot /ie).el' efficitur, scriptorem auctores suos, quos primo loco adhiberet, semper inspexisse et inter se diligenter comparasse. Utrum in Eac parte sequatur, non liquet. Sacrificia enim et ludi sollemnia initio capitibus commemorata Aristobulo tribuere licet, quem in eius modi rebus enarrandis multum fuisse omnes iam consentiunt. Certe uno quidem loco (VI, 28, 3) Arrianus ipso Aristobulo tahum rerum testem laudat. Verum nihil inde de iis, quae sequuntur, concludi potest, nisi alia argumenta accedunt, (F r a e n k e I p. 280). De Abisare cf. append. XXI.

2) Arr. V, 20, 3 dimidium comitum equitum et equites sagittarios, clectos e peditum agmine et Agrianas sagittariosque dicit.

3) Quoniam Aristobulus Pori et Taxilis discordiam commemorasse videtur (Curt. VIII, 12, 13 et Arr. V, 18, 7), eum vel hoo loco ab Arriano adhibitum esse puto, praesertim cum Alexander in ea regione triginta septem urbes recepisse dicatur, quarum plurimis plus decem milia incolarum fuissent. Haec item Aristobuli esse possunt, qui in eius modi rebus versari amaverit.

4) Arr. V, 20, u. 6 et 29, 4. Expeditionem contra Glausas susceptam Diodorus et Curtius neglegunt. Abisari legationem et Alexandri responsum commemorant, Diodorus XVII, 90, 4 brevissime, Curtius IX, 1, 7 paulo accuratius. cf. append. XXI.

tempore Sopithes quidam regulus Alexandrum adiisse et se suaque omnia eius potestati permisisse videtur'). Quo loco legati omnes cum rege congressi sint, in castris ad Hydaspis ripam positus, an in Glausarum finibus, parum constat<sup>1)</sup>.

Quibus effectis Alexander extemplo cum iis, quas secum ducebat, copiis ad Acesinem flumen processit, ut superato eo penitus in terram invaderet<sup>2)</sup>. Sed antequam proficisceretur, reditui in patriam consuluit et in Hydaspes flumine classem aedificari iussit. Quando primum ceperit consilium, ut navibus in oceanum invisum devectus ad Euphratem flumen iter aperiret, certum definire non possumus. Cbi vero Hydaspes flumine trajecto et Poro rege superato de bello continuando cogitare coepit, stetit ei iam sententia pacata illa regione per flumen ad mare currere terrasque omnes. quas Indus flumen praeterflueret, imperio adiungere mutuoque commercio cum ceteris imperii provinciis in unum conectere. Quod ne postea quidem militibus instare destitit, ut porro se sequerentur neque animis deficerent, haud per ridiculum id fecit sed summo longius procedendi studio incensus. Sed quantum fructus ex illo bello ad imperium vere augendum redundare posset, iam tum cognitum habebat<sup>3)</sup>. Nuntius infaustus ex Assacenis adlatus eum non deterruit, quo minus propositum perageret. Assaceni enim interfecto principe defecerant et imperium Ma-

1) Arr. VI, 2, 3 regiam eius ad Hydaspem flumen sitam fuisse dicit. Deteriores scriptores permulta de Sopithe fabulati sunt. cf. ea quae append. XXVI exposui

2) Droysen p. 146 et 147 Pori minoris et liberarum gentium legationes statim post proelium factum advenisse narrat, Abisaris legatos Alexandrum Glausarum fines iam ingressurum convenisse putat. Sed eodem iure aliter de hac re iudicare licet.

3) Arr. V, 20, 8. Veri simile non est, regem, qua esset celeritate in bello gerendo, ad Hydaspem flumen rediisse et coniuncto exercitu incedere coepisse. Craterus omnibus, quae mandata erant, effectis regem subsecutus est.

4) Diod. XVII, 89, 4. Curt. IX, I, 4. Arrianus tacet. cf. append. XXII.

cedonum abnuebant. Ad seditionem opprimendam satis habuit Tyriaspem et Philippum satrapas cum copiis mittere').

Acesinem flumen imbribus auctum et saxis impeditum postquam aegre neccsine detrimento transiit<sup>4)</sup>, Coenum cum legione sua in ripa reliquit, ut reliquam exercitus partem, quae cum magnis com meatibus sequeretur, traiciendam curaret<sup>5)</sup>. Expectavit sane eas copias, quae in Hydaspis ripas ad oppida modo condita Cratero duce remanserant et tum quidem novis subsidiis auctae<sup>6)</sup> denuo ad bellum advocatae sunt<sup>7)</sup>. Nonnulla pars haud dubie tum quoque navibus struendis occupata remansit. Porum, quem ad id tempus, sicut ante Taxilem comitem et quasi ducem habuerat, Alexander domum remisit et exercitu elephantisque coactis rursus ad se redire iussit<sup>8)</sup>. Indorum auxiliis ei opus erat ad oppida praesidiis firmanda, ut suis copiis ad rem gerendam uti posset. Omnem

1) Arr. V, 20, 7. Vulgo legitur: „~apd Eimximou tou Imrax-vwv oarpdnou iyyshu” sed nomen Ztmbzzou non constat, cum in codicibus scriptum sit etiam StoiXou et —imxoo. Intellegendus videtur Sisicottus (Arr. IV, 30, 4). Quod satrapes dicitur, quanquam omni provinciae Philippus praepositus erat, non est premendum. Nam Arrianus — in auctorem eius idem valere videtur — non ea, qua par est, diligentia eius modi res memorat. Velut interdum Indorum principes, qui se subiecerant, simpliciter satrapas appellat. Princeps („u-ap%o<”) Assacenorum filius illus intellegendus est, qui Massagis interfectus erat. — Hoc loco Arrianus Phrataphernem, Parthyaeorum satrapem, cum copiarum supplementis Thracibts advenisse tradit. Quod utrum ad Ptolemaeum an ad Aristobulum referendum sit, dubium est.

2) Arr. V, 20, 8. 9. Arrianus Ptolemaeum secutus flumen quindecim stadia latum fuisse enuntiat, et adnotat, hoc solum flumen a Ptolemaeo diligentitits descriptum esso. Quam ob rem cum Arrianus de ceteris fluminibus nihil praebeat, eo veri similis est, eum in iis, quae sequuntur, Ptolemaeum primum auctorem adhibuisse. De Diodoro et Cuttio cf. append. XXIII.

3) Arr. V, 21, 1.

4) Arr. V, 20, 7.

5) Arr. V, 21, 4 Craterus adesse commemoratur.

6) Arr. V, 21, 2.

enim regionem trans Acesinem flumen sitam, quam Poro tradere destinavisset, simul atque subacta esset, copiis eius occupari volebat. Ipse cum maxime expeditis Porum minorem persecutus est, qui trans Acesinem flumen regnabat<sup>1</sup>). Qui veteres cum altero Poro inimicitias gesserat et, dum hic cum Macedonibus bellat, omnia, quae Alexander imperaret, se facturum esse per legatos promiserat<sup>2</sup>). Postquam vero virum infestum apud Alexandrum in summa gratia esse audivit, ultionem ab eo veritus cum parte copiarum effugerat. Fugisse autem prius videtur, quam Alexander ad Acesinem perveniret<sup>3</sup>). Eex summa celeritate adhibita usque ad Hydraotem, proximum amnem, fugientem persecutus est praesidiaque omnibus locis, qui idonei viderentur, reliquit, ut Coeno et Cratero, qui in frumento et commeatu petendo versarentur et regionem diriperent, tutius iter redderet<sup>4</sup>). Ad Hydraotem postquam pervenit, constitit, dum novissimum agmen consecutum est<sup>5</sup>). Qui cum subvenissent, Hephaestionem<sup>6</sup>) in interiores eius

1) Arr. V, 21,3.

2) Arr. V, 21,3: „*ἔτρε πκν -οΧεπτα \$υvετερφxετ 'ΑΧετ-dvdpw rd ~pb<; rby ciXXov Ilwpov, -πιεφtztc. -ap 'ΑΧετ-avdpov -εp-wv~*. Intellegenda certe est ea legatio, quae Poro iam devicto Alexandrum adiit (Arr. V, 20, 6). Itaque cum alter locus alteri si non repugnet, at certe male quadret, eos ex diversis auctoribus sumptos esse puto. Eo veri similis est, Arrianum hoc quidem loco Ptolemaeum secutum esse.

3) Apud Arrianum enim V, 21,3 traditum habemus, fugam eum cepisse, cum primum inimicum, alterum Porum, cum Alexandro gratiam reconciliasse comperisset. Qua de re legatione illa certior fieri potuit, quam ad Alexandrum miserat.

4) Arr. V, 21, 4. Inde quod V, 21, 1. 2 Alexander Coeno relicto „*abv rolc xou<porprt>i<; rff- erpartdc-* Porum persecutus esse dicitur, efficitur eum, cum Acesinem flumen transiisset, non molem, sed partem exercitus secum habuisse. Craterus igitur cum maiore parte secutus est.

6) Cum Arrianus Alexandrum cum expedita manu eam regionem percurrisse dicat, deinde vero multo maiores copias commemoret, has post Alexandrum ad Hydraotem venisse consentaneum est.

6) Arr. V, 21, 5 duas legiones peditum, ipsius et Demetrii alam, dimidium sagittariorum Hephaestioni data esse refert.

regionis, quam ipse percurrebat, partes misit, ut omni Pori minoris regno pacato et alteri Poro tradito, si quae ad Hydraotem flumen gentes incolerent, eas quoque sub Pori potestatem redigeret et ad Acesinem flumen oppidum munitum conderet<sup>1</sup>). Haec non ita accipienda sunt, quasi Alexander Pori minoris regnum ipse non attigerit. Sane fugientem non usquam alibi, sed in regno eius quaesivit; cum vero terra pervolata hostem non repperisset, Hephaestionem regionem peragrare et plane subigere iussit<sup>2</sup>).

Deinde Hydraote flumine facile traiecit in fines liberorum Indorum invasit, qui nullius regis imperio tenebantur<sup>3</sup>). Gentes parvulae, quas attigit, partim ultro se subiecerunt, partim armis domitae sunt<sup>4</sup>).” Cum aliquantum progressus

1) Hoc conligendum est ex Arr. V, 29, 3: „*xai ivrautta* (sc. cum ad Acesinem rediisset) *xara/ap.fidvet rfy r.bXtv l^tuxodoprpevry, rjvrtva 'Htpateriuv aurta ixrst/ieat ird/iXr*”.

2) Cum Alexandrum ex Glausarum finibus, qui certe montes accolerent, nihil moratum ad Acesinem flumen profectum essi veri simile sit, hoc quoque flumen haud procul a montibus transiisse videtur. In India enim, cum primum in terram invasit, ante omnia id egit, ut provinciam a barbaris montanis tutam redderet, ne illis indomitis precario regionem obtineret. Quare Acesinem transgressus usque ad Hydraotem in rectum, ab occidente ad orientem iter fecit et ad hoc quoque flumen haud procul a montibus pervenit. Idem Strabo XV, 1, 32 p. 700 tradidit: „*f) πkv oiv πi/pt n,u TSde-ou bbb- rb ~Xεov fy ε~i peor/fjfp>iav, f) b''εv>9εvbe ~pb~ tw παXXov /Ji/pt roii 'Y-dvtt>c, 5-aea tjk rff- uirwpsiac; pbXXov r) rwv r.eSiwv ε/οpεvrj*”, cuius auctorem Aristobulum esse suspicor, qucm Strabo inde a § 28, ubi-cumque oratione directa utitur, sequi videtur. Nam postquam § 29—31 adhibitis verbis: *Strjyouvrat* vel *rtiHaei rtve-* vel *ieropeirat* varias res memoravit, § 32, ubi omnem expeditionem paucis complectitur, ad orationem directam redit. — Quam ob rem Pori minoris regnum, quod inter Acesinem et Hydraotem situm erat. in septentriones spectabat, partem australem gentes liberae obtinebant. cf. append. XXIV.

3) Arr. V, 22, 1. cf. L a s s e n II p. 166 sq.

4) Arr. V, 21, 6: „*-poxwpouvxt tVs aurtp irt' ixstva rfc !r/iirc. rou 'Yapatlirou rou<; pev -uXXouc xaii' bjoXoyiav itpoo/wpety t;uvεftaivev, fjbr, tii rtvac. s-uv <>-Xot<; d-avrffjavra • robc bk xai u-otpsuyovrac kXtuv fta*

esset, certior factus est, Cathaeos validam gentem se a finibus prohibere velle. Cum duabus aliis gentibus<sup>1)</sup> foedere facto copias omnes ad Sangala urbem contraxerant. Qua re cognita Alexander confestim Sangala contendit. Biduo post, quam ab Hydraote flumine profectus est, ad Adraestas, gentem e liberis, oppidumque eorum, cui Pimprama nomen erat, pervenit. Quibus in deditionem acceptis milites unum diem ex itinere refecit, postero die ad Sangala pervasit<sup>2)</sup>. Exercitum Cathaeorum ceterarumque gentium in colle ad urbem conlocatum invenit, quem vehiculis inter se iunctis triplici munitione saepserant. Vixdum advenerat, cum statim ex itinere impetum in hostes fecit. Praemissis hippacontistis, qui barbaros vexarent, copias disposuit<sup>3)</sup>. -Acie instructa, Indos ex muni-

*xarearpit/aro*". Per se haec non ad alias quasdam gentes, sed ad eas referri possunt, do quibus c. 22 agitur; verum cum c. 24, 8 *rzbl.etc ai rzpooxeywpr/xeav* commemorentur, probabilius est verba Arriani aliter interpretari.

1) Apud Arrianum V, 22, 1 traditum habemus: „*xai ooa bpopd oplotv waaurwc aurwopa, xai raura TzapaxaXeiv ic rh ipov*“ et V, 22, 4: „*ol Ka&aioi re xai ol \$Xkot rzpooypot aurotc \$uveX.r)Xui9brec*“. Contra V, 24, 6 aperte dicit, duas fuisse gentes: „*rdc Suo rzbXetc rdc t-uvatpearojoac roiq layydXote*“. Droysen p. 150 et 153 parum diligenter eodem modo quo Arrianus rem enarrat. Arrianus autem cum hoc loco Ptolemaei verba servasse videatur, efficitur hunc ipso belli tempore omnes res per dies descripsisse et ex his commentariis diurnis historias suas composuisse. Sic enim intellegitur, cur ante Sangala oppidum captum in univsum Cathaeorum socios commemoraverit, post vero eorum numerum diligentius definiat.

2) Arr. V, 22, 4. Quarto igitur die Sangala venit, non tertio, ut Droysen p. 150 et Lassen II, p. 167 perhibent. Uterque neglexit, Arrianum § 4 memorare: „*dvarzauoac rff uorepaia rr)v trpartdv*“ sc. postredie, quam advenit. Quod vero pergit: „*TJ rpirr) Tponywpet irzi rd Xdy-yaXa*“, tertia castra, non tertius dies accipiendus eat, nisi forte „*TJ uorepaia*“ ita accipimus, ut Alexandrum non totum diem sed aliquot horas Pimpramis moratum eodem die Sangala contendisse existimemus.

3) Arr. V, 22, 5—6: In dextro cornu regiam et Cliti alam, quas hypaspistae et Agrianes sequebantur, in laevo cornu, cui Perdiccam praefecit, Perdiccae alam et „*rdc rww ZeEeraipwv rdgetc*“, sagittarios ad latera disposuit; subsequentes copias aciei se applicare iussit. Craterus, cui Alex-

mentis excessuros esse sperans, cum equitatu, ut consueverat, impetum facere conatus est; verum ubi Indos intra saepta remanere vidit, mutato consilio cum peditum acie saepta adgressus facili opera primum vehiculorum ordinem perripuit, deinde acerrimo proelio facto secundum cepit. Cum etiam tertiam adgrederetur, hostes non amplius resistere ausi intra moenia confugerunt. Quo facto Alexander statim urbem, quantum fieri potuit, corona circumdedit. Erat urbs altera parte lacu munita, quam rex equitibus complexus est, ne Indi noctu clam elabi possent. Neque falsus est. Indi enim secunda vigilia per lacum effugere conati ab equitibus prohibiti sunt. Proximis diebus<sup>1)</sup> Alexander moenia vallo duplici undique cinxit stationibusque circa lacum dispositis urbem vi oppugnare statuit. Haec dum administrat, a transfugis certior factus est, hostes proxima nocte praeter lacus ripam, ubi intermissae munitiones essent, erumpere velle. Qua re eo loco Ptolemaeus cum valida manu conlocavit<sup>2)</sup> et ad ipsum discrimen cum ceteris copiis supervenire decrevit<sup>3)</sup>. Ptolemaeus nocte, quod spatium inter vallum et lacum patebat, vehiculis arbo-

ander praeter ceteros maiores exercitus partes committere solebat, huius proelii expers videtur fuisse, quia nulla eius facta est mentio. Num omnes *TzeZerai/tut* proelio interfuerint, ita ut duae illae *tpdXayyec* Hephaestioni datae (Arr. V, 21, 5) non *rze^eraipwv* essent, non liquet.

1) Arr. V, 23, 6 sq. Arrianus temporum non habita ratione, transfugas dixisse memorat, Indos *^aurffc ixevyc rrjc vuxrbc*“ excursionem facturos esse. Quanquam complures praeteriisse dies ex re ipsa efficitur, Droysen p. 152 munitiones omnes uno die perfectas et Indorum eruptionem secunda nocte factam esse narrat.

2) Arr. V, 23, 7 tres chiliarchias hypaspistarum, omnes Agrianas, unam *rdt-tv* sagittariorum enumerat. Etiam ex hoc loco apparet, vocem „*rdt;ic*“ non solum ad hoplitas, sed ad omnes copias pertinere. Eo minus, ubicumque *rd^tc* aliqua duce nominato commemoratur, de hoplitis cogitandum est.

3) Mandatum Ptolemaeo datum ab Arriano tam diligenter — quin etiam ipsius verba oratione directa adferuntur — relata sunt, ut eum Ptolemaeus ad verbum sequi veri simillimum sit.

ribusque obiectis communivit. Ita factum est, ut hostes, qui quarta vigilia evaderent, multis suorum amissis in urbem redire cogerentur. Paulo post, dum Alexander munitiones firmat et machinas muris admove parat, Porus cum quinque milibus Indorum auxiliarium et elequantis, qui supererant, advenit<sup>1)</sup>. Neque vero machinis opus fuit. Macedones enim morae impatientes subfossis muris urbem vi ceperunt. Strages inter victos edita est maxima: caesi sunt circiter decem et septem milia, capti plus septuaginta milia<sup>2)</sup>. Memoratu dignum est, Arrianum de Cathaeis verbo deficiendi uti<sup>3)</sup>. Cum enim credibile non sit, scriptorem ipsum de hoc bello sic existimasse, efficitur, auctorem eius ita de Cathaeis sensisse<sup>4)</sup>, atque apparet, quo superbiae Alexandri aequales progressi fuerint, qui homines liberos libertatem propugnantes non tam pro hostibus, quam pro rebellibus haberent. Macedonibus enim servire omnibus barbaris fatum esse arbitrabantur; qui resistebant et imperium detrectabant, eos maiestatis noxios ducebant.

Drbe expugnata Eumenem, qui erat ab epistolis, cum

1) Hinc luce clarius apparet, urbem complures dies obsessam esse. Nam cum Alexander Porum ab Hydraotis fluminis ripa domum remisisset, fieri non potuit, ut hic paucissimis diebus et rediret domum et copiis coactis rursus Sangala ad Macedonum exercitum perveniret. D r o y s e n , qui eius modi obscure narrata servare solet, p. 153 dicit: „Zugleich traf Porus wieder ein“. Quae cum ita sint, aliquot dies praeteriisse censeo, antequam Indi iterum erumpere auderent. Cum vero se undique cingi viderent, ad desperationem adducti quocumque modo perniciem effugere statuerunt.

2) Arr. V, 24, 5 insuper trecentos currus et quingentos equites captos esse dicit. Fortasse „i-~lic.~ in „ix-ol“ mutandum est. Macedonum centum fere cecidisse, plus mille ducentos vulneratos esse memorat et adicit, vulneratorum multitudinem maiorem quam pro caesorum numero fuisse. Itaque ne hoc quidem loco Ptolemaeum ambitionis arguere possumus.

3) Arr. V, 24, 0; „T<=J Siw -iiketq rd<; ^ n v a<p z n r rii a a <; TOI? -aydririt“.

4) Cathaeos enim in eorum numcro fuisse, qui Alexandrum legationibus adiissent, non ost, quod censeamus.

trecentis equitibus ad ceteras duas urbes misit, quae cum Sangalensibus vires coniunxerant, ut nuntio de urbis interitu accepto victoris clementia confisi ipsi se dederent. Sed oppidani fama oppugnationis territi omnibus desertis eifugerant. Quo audito Alexander extemplo profectus quingentos itinere confectos consecutus est et omnes caedi iussit. Ceteri elapsi sunt. Itaque Sangala repetit. Urbs funditus eversa, ager ceteris liberis gentibus traditus est, quae ultro se subiecerant<sup>1)</sup>. Quo crudelitatis exemplo edito Porum cum auxiliis illam regionem peragrare et praesidiis firmare iussit, ipse ad Hyphasim flumen processit, ut superato eo omnem Pentapotamiam quae dicitur usque ad Hesydrum, extremum flumen, obtineret<sup>2)</sup>. Neque vero ei contigit, ut ultro progredere, sed certos sibi quoque fortuna destinatos esse fines post tot annos bellis perpetuis peractos expertus est. Quid Alexander tum in animo habuerit, non nisi coniecturis adsequi possumus. Cum regionis ultra Hyphasim flumen sitae naturam ab incolis et Poro, qui in comitibus esset, haud dubie diligenter percunctatus esset, non ignorabat, paucorum dierum iter abesse Hesydrum, extremum Pentapotamiae flumen, et interiorem Indiam locis desertis ab eo tractu seiunctam esse. Iam vero supra vidimus, eum ante de reditu cogitasse; sane exiis, quae de classe aedificanda imperavit, hoc conligere licet. Itaque per se statuendum haud scio an fuerit, eum non ultra Hesydrum flumen procedere voluisse, ut omni ea Indiae parte subacta ad Hydaspem rediret et per hoc flumen ad oceanum decurreret. Hoc consilium Alexandrum primo cepisse, sed cum ad Hyphasim pervenisset, mutasse puto. Nam si non ultra proximum flumen procedere et ibi finem bellandi facere cogitavisset, credibile non est, milites, qui tot annos regem per omnia pericula secuti essent, imperium eius detrectaturos fuisse, qui non novum bellum pararet, sed coeptum ad finem perducere.

1) cf. append. XXV.

2) Arr. V, 24, 6—8. De Curtio et Diodoro cf. append. XXVI.

vellet. Neque intellegi potest, cur nemo scriptorum, cur ne Arrianus quidem quicquam de hoc Alexandri consilio memoriae prodiderit. Ipse enim rex, si non amplius progredi voluisset, quacumque ratione militibus persuadere conatus esset, ne paucorum dierum labores recusantes regem terminum, quem sibi proposuisset, paene adsecutum reverti cogere, ac scriptores aliquam huius rei notitiam et accepissent ipsi et posteris tradidissent. At omnes consentiunt, regem interiorum Indiam et Gangem flumen petere destinavisse. Qua re eum re ipsa hoc consilium agitasse censeo. Ignorabat certe, quam longe lateque India pateret, et expeditione non diuturna ad oceanum, qui in orientem vergeret, perveniri posse sperabat. Prius illud Indi fluminis explorandi consilium si non dimiserat, at certe distulerat. Quo longius in terram fabulosam invaserat, eo accuratiorem eius notitiam acceperat, ita ut postremo totam Indiam sub potestatem suam redigere statueret. Neque enim Droysen adsentior, qui Alexandrum interiorum Indiam percurrere voluisse existimet, non quo imperii fines propagaret, sed ut ea loca ipse videret naturamque eorum perspiceret<sup>1)</sup>; teneo, cogitasse regem de tota India usque ad oceanum expugnanda, de periculis vero et laboribus, quae subeunda essent, prava sensisse.

Prosperè evenit, ut inceptum audacissimum peragere non posset, sed et a militibus, et a ducibus impeditur<sup>2)</sup>. Omnes enim excepto rege laborum et belli pertaesum iam erat. Milites, postquam regem finem non facere bellandi cognoverunt, fremere coeperunt, conventusque frequentes in castris fiebant. Quae cum animadvertisset, Alexander, ne glisceret contumacia, simul et animos adhortatione ad obsequium compelli posse

1) Droysen p. 104: „So zeigt dies unzweideutig, dass er auf dem Wege des Indus, nicht des Ganges, zurückzukehren die Absicht hatte. dass also sein Zug gegen die Gangesländer nicht mehr als ein Streifzug, eine „Cavalcade“ sein sollte“.

2) Ea fere repeto, quae Arrianus V, 25—29, 2 narrat.

sperans, praetores<sup>3)</sup> omnes in contionem convocatos adloquitur fervidaque oratione animos eorum excitare studet<sup>4)</sup>. Sed omnes altum silentium tenuerunt vultibusque sibi non eosdem ac regi animos esse significaverunt. Tandem, cum rex identidem monuisset, ut dicerent, quid sentirent, Coenus respondere ausus expeditionem dissuasit, quia milites perpetuis laboribus confecti et imminuti certamina nova recusarent et domum redire cuperent<sup>5)</sup>. Coeni oratione iratus Alexander contionem dimittit. Proximo die iisdem praetoribus convocatis pudore animos eorum accendere conatus, qui redire vellent, iis reditum concessum esse dicit; se cum reliquis copiis, si quae regem suum non desererent, flumen transiturum. Sed ne sic quidem resistentibus persuadere potuit. Itaque nihil relinquebatur, nisi ut obtemperaret. Cum vero se pergere velle vehementissime professus esset, ne speciem regis a militibus superati praerberet, ad deos confugit. Caesae sunt victimae, sed non est litatum<sup>6)</sup>. Cum dii immortales expeditionem

D) Arr. V, 25, 2: „*ruuc rfys/wvac ro/v rdcstov*“. Droysen p. 157 adn. 1, qui nomen „*rdcc*“ ad solos Macedonas, non ad socios mercennariosve referat, hic quoque solos Macedonum duces intellegere videtur, atque conligere inde vult, hos praecipue belli labores recusavisse. Sed cum hanc Droyseni sententiam fundamento carere supra adnotaverim, nihil obstat, quo minus etiam de ceteris copiis cogitemus. Nimirum ii fremueitnt, qui iam diu stipendia fecerant, non ii, qui modo conscripti erant.

2) Orationem Alexandri, quae apud Arrianum exstat, ab ipso scriptore ita compositum esse Droysen p. 410—412 demonstravit, ut fortasse orationibus, quas apud alios scriptores inveniret, quasi exemplo uteretur.

3) Hanc quoque orationem Arrianus ipse composuisse videtur. cf. append. XXVII.

4) Arrianus testem adfert Ptolemaeum V, 28, 4. Ea, quae praecedunt, non omnia ex hoc sumpsit, sed aliqua ex iis libris, quos Xsybj.sva vocat, hausisse videtur. Nam Ptolemaeus, quantum iudicari licet, tradidit Alexandrum, postquam Coenus in diversam sententiam locutus esset, contione dimissa postero die eosdem praetores iterum convocasse, et cum commovere non posset, de transitu auspicia haberi iussisse. Quae omnia Arrianus indicativo modo usus narrat; contra infinite describit, quo modo audientium animi Coeni oratione affecti essent (V, 28, 1: *^Hbpuftov yevsafiac* . . .

dissuadere viderentur, redire animum induxit. Itaque, cum novum consilium audacissimum ad inritum cecidisset, ea efficere statuit, quae primo in animo habuerat: per Indum flumen ad oceanum ignotum devectus accolis fluminis subactis illum Indiae tractum imperio adicere et ab Indo ad Euphratem iter aperire. Monumenta expeditionis duodecim aras eximiae magnitudinis <sup>1)</sup> erigi iussit et sacris sollemnibus factis ludisque gymnics et equestribus editis cum copiis omnibus profectus est. Quo loco Hyphasim flumen tetigerit et aras excitaverit, parum liquet. Monumenta fuisse celeberrima et aliquamdiu intacta mansisse constat <sup>2)</sup>. Mirum est, quod nemo scriptorum quinti fluminis, Hesydri, mentionem facit, qui spatio

*-okkoic Se 6\*7) xai Sdxpua -pu/wHvra ert /xdkkov Sr, kw aat Tti rs dxoueww rfc yvw/xr<; £c rtiut; -piou i xtvSiivouc. xai x'u xaff iStivr)v eptetv sivat rfy dwayuprµv). Item oratione obliqua Alexandrum altera contione dimissa in tabernaculum regium regressum biduum ibi mansisse refert V, 28, 3: „raur si-tivra d — e kft eiv i< rffv axr)vfy p.r.S£ Tiva rwv kraipuv - p o o £ e a i ajrf<; re £xeivrc rf<; fp£pa<; xai £; rfy rpirrv e'rt aV £xeivrc'. De ceteris scriptoribus cf. append. XXVIII.*

1) Arr. V, 29, 1 additum: „Stskwv xard rdt-etc. rfy erpartdv". Unde non efficitur, duodecim tum fuisse militum rdt;et-, sed Alexandrum, cum arae aedificarentur, exercitum in duodecim partes divisisse (cf. Hans Droysen „Untersuchungen etc." p. 12). Diodorus aras quinquaginta cubita altas fuisse dicit. Curtius IX, 3, 19 adicit aras „ex quadrato saxo" factas esse, quod Lassen II p. 173 si non recepisset, melius sine dubio fecisset. Omnes tres scriptores (Diod. XVII, 95, 1. 2; Curt. IX, 3, 19; Just. XII, 8, 16) et Plutarchus c. 62 consentiunt, Alexandrum, ut heroum memoriam posteris relinqueret, castra ampliora quam pro hominum magnitudine aedificari iussisse. Curtius addit: „posteritati fallax miraculum praeparans", Plutarchus: „-ukkd -pi- Sii^av d-arrjkd xai eoptertxd /xryavtiij.s-vo-". Diodorus et Justinus sine malignitate rem commemorant. Qua re iam eos scriptores, quos Diodorus et Curtius exscriberent, non eodem modo de hoc Alexandri facinore existimasse censeo. Plutarchus paulo diversam praebet relationem, cum non integra castra, sed arma et frena praesepiaque immensae magnitudinis relicta esse dicat. Quam relationem priorem fuisse apparet. Fraenkel p. 149 rursus Onesicritum fabulae auctorem fuisse conicit.

2) Plut. 62: „iSpuaTo Se flw/wuc. i/eww, o'i<; /x £\*/p t viiv oi llpatoiwv fjaetkel- StajiaivovTEc. e£povrat xai i/uouatv 'Ekkrvtr.dc fhaiaac.

haud magno ab Hyphasi seiunctus erat. Quam *ou* rem, cum Diodorus et Curtius ultra id flumen, ad quod pervenisset exercitus, solitudines fuisse dicant, conligere liceat, Alexandrum ad Hyphasim infra eum locum pervenisse, ubi cum Hesydro in unum committitur, ita ut ibi Hyphasis flumen extremum esset. Sed ut dubium est, num flumina coniuncta Hyphasis appellata sint ita locus ab itinere, quod fecerat, longius abest, etiam si eum paulo supra confluentem situm fuiss<sup>1)</sup> statuamus<sup>2)</sup>. Nullam video causam, cur Alexander, qui interioris Indiae visendae cupidus esset, temere inter Hydraotem et Hyphasim errans tantum ad meridiem progressus sit. Progressus esset, si belli necessitate coactus esset; sed nullus eum ibi manebat hostis. Quam ob rem de alio loco cogitandum, qui aliquantum a montibus absit. Arena enim non ab ipsis montibus incipit. Quae quod non ultra Hyphasim sed ultra Hesydrum flumen sita est, non est premendum: Alexander neglecto spatio, quod interiectum erat, angustissimo de regione ultra extremum flumen sita locutus erat.

Regionem pacatam celeriter permensus ad Acesinem flumen substitit<sup>3)</sup>, ut urbem ab Hephaestione conditam<sup>4)</sup> provinciaeque statum ordinaret. Militibus omnibus, qui belli laboribus confecti essent, relictis et finitimorum Indorum, qui vellent, eo deductis, quae ad navigandum necessaria erant,

1) Lassen II p. 173 adn. 1.

2) Hoc Lassen ibid. fecit.

3) Arr. V, 29, 2. Exercitum non eadem via, sed brevioriter fecisse consentaneum est, quanquam Diodorus XVII, 95, 3 et Curtius IX, 3, 20 eandem viam dicunt. Ad Acesinem flumen castra posita esse cum Arriano consentiunt fluminisque nomen supra omissum hoc loco adferunt. Quem auctorem Arrianus sequatur, etsi evinci non potest, tamen, quia sacrorum ludorumque mentio fit et paulo infra legationes commemorantur, veri similis est de Aristobulo cogitare. Fraenkel p. 281 hoc quoque loco Ptolemaeum subesse censet.

4) De situ urbis cf. ea, quae Lassen II p. 174 adn. I et Droysen p. 167 adn. 2 disputaverunt.

iam tum providit')• Quo loco regem denuo Abisaris legati adierunt, quibuscum et ii Macedones, qui post pugnam ad Hydaspem factam ad illum<sup>3)</sup> missi erant, redierunt. Abisares morbum excusavit. quod non ipse venisset, et se omnia, quae imperaret, libentissime facturum esse rursus confirmavit. Alexander ei ignovit et regnum non solum reddidit sed insuper auxit, Arsacis<sup>3)</sup>, finitimi reguli, regno, qui et ipse se subiecerat, Abisari tradito<sup>4)</sup>. Sane cum facere non posset, quin ab expeditione denunciata desisteret, necessario clementem se praebuit. Quibus effectis<sup>5)</sup> ad Hydaspem profectus est, ubi classem aedificatam invenit. Aliquamdiu ibi moratus oppida modo condita, quae imbribus perpetuis adflucta essent, reficienda curavit. Remigibus usus est militibus, qui a pueris maris usum haberent, Phoenicibus, Cypriis, Caribus, Aegyptiis<sup>6)</sup>. Sed antequam naves conscenderent, Coenus mortuus est, quem rex magnifice sepeliri iussit<sup>7)</sup>. Postremo omnibus comitibus et Indorum legatis ad contionem sollemnem vocatis omnium, quas subegerat, gentium regem Porum constituit. Cogitandum haud dubie est de gentibus, quae inter Hydaspem

1) Arr. V, 29, 3. Quid providerit, non constat. Veri simillimum est, ad hoc quoque flumen naves aedificatas esse. Sic faeilus explicatur, cur ceteri scriptores Alexandrum per Acesinem flumen devectum esse perhibeant (cf. append. XXX). Sed nihil amplius de hac re accopimus. Possis cogitare de navibus, quae Arr. VI, 15, 1 commemorantur.

2) Arr. V, 20, 6.

3) Lassen II p. 174 adn. 2.

4) Arr. V, 29,5: <sup>^</sup>Aptadpr/ Tjc auToO ympac a a Tp a - s b e t > ibioxe".

5) Arr. V, 29,5 adicit: „xai <phouc oijortvac dnoiaouat Ta\$ac if u e t a'j xai ixi T<J Axeainr/ -oTa'iuu". Quo ex additamento Arrianum hoc loco Aristobulo usum esse concluderim.

6) Arr. VI, 1, 6.

7) Arr. VI, 2, 1. Curtius IX, 3, 20 idem refert, sed, cum flumina confundat, ad Acesinem Coenum mortuum esse dicit. Itaque ex eodem auctore hoc sumpsit, qui flumina confudit. Diodorus, qui ne supra quidem ubi res ad Hyphasim gestas narrat, Coeni mentionem fecerit, de morte eius tacet.

et Hyphasim incolebant, non de Taxilis aut Abisaris regnis<sup>1)</sup>). Alexander exercitum in tres divisit partes. Ipse cum una parte<sup>2)</sup> naves conscendit, Craterum cum parte pedituum equitumque dextra fluminis ripa, laeva ripa Hephaestionem cum maiore exercitus parte omnibusque elephantis<sup>3)</sup> usque ad Sopythis regiam procedere ibique exspectare iussit, dum classis advenisset. Denique Philippo, quem satrapam eius regionis iam pridem constituerat, imperavit, ut tribus diebus interpositis subsequeretur. Provinciae enim fines cum ad meridiem propagare in animo haberet, Philippus regiones nondum subactas in deditioem accipere debebat. Omni classi praepositus est Nearchus<sup>4)</sup>.

Sollemnibus sacris factis<sup>3)</sup> navigari coeptum est<sup>6)</sup> auctumno anni 32(5<sup>1)</sup>). Tertio die ad illum locum pervenit, quo

1) Arr. VI, 2, 1 Aristobulum certe secutus in eo tractu Indiae septem gentes et duo milia oppidorum iuisse perhibet. Diversos numeros ab aliis prolatos esse, supra commemoravi. Curtius adicit IX, 3, 22 Alexandrum Porum cum Taxile reconciliasse („firmatae -per adfinitatem gratiae"). Arrianus supra V, 20, 4 hoc memoravit. Diodorus et Curtius eodem loco exercitus supplementa advenisse memorant. cf. append. XXIX.

2) Arr. VI, 2, 2 omnes hypaspistae, sagittarii, Agrianes, equitum regia ala commemorantur. A Diodoro et Curtio haec omnia brevissime narrantur.

3) Arr. VI, 2, 2 ducentos elephantos fuisse perhibet. Etiam Diodonis XVII, 96, 1 Hephaestionem et Craterum maiorem exercitus partem terra duxisse commemorat, cum Curtius IX, 3, 24 omnino elephantos et impedimenta secuta esse referat. Utrum ipse nomina omiserit, an iam omissa invenerit, difficile est diiudicare.

4) Arr. VI, 2, 3. Arrianus § 4 Ptolemaeo teste laudato octoginta <sup>rpiaxo>Toporjc</sup> fuisse et omnium navigiorum numerum duo milia (K r u e g e r „milln" coniecit) aequasse dicit. Diodorus XVII, 95, 5 ducentas <sup>d<ppdxTo:c</sup> et octingentas <sup>urr/peTlxde</sup>, Curtius IX, 3, 22 omnino mille navigia dicit.

5) Haec rursus Aristobulum lateic indicant. Quae sequuntur apud Arrianum VI, 3, 1 sq. ea sunt, quae eidem, non Ptolemaeo tribuas.

6) Curtius IX, 3, 24 Alexandrum quadraginta ferme stadia singulis diebus processisse narrat, sed classem tam lento cursu devectam esse non est credibile.

7) Aristobulus hoc testatur apud Strabonem XV, I, 17 p. 691.

Hephaestionem et Craterum praemisera. Quo loco biduum mansit, donec Philippus advenit<sup>1)</sup>. Tum vero, cum regio, in quam ingressus erat, a nationibus teneretur infestis necdum subactis, Philippum in orientem versus ad Acesinam misit, ut peragrata regione ad Hydaspis et Acesinis confluentes cum ceteris copiis conveniret<sup>2)</sup>, Hephaestionem et Craterum eadem, qua profecti erant, via ad eundem locum procedere iussit, ipse per Hydaspem quam celerrime decurrit et, ubicumque naves applicaverat, accolas in deditionem accepit<sup>3)</sup>. Nuntium enim acceperat, Mallos et Oxydracas, validissimas gentes, deditionem abnuere et copiis coniunctis ad ultimum discrimen paratos esse. Quos ut inopinantes, antequam copias iunxissent, opprimeret, festinanter confluentes petiit. Quinto die, postquam iterum profectus est, ad confluentes pervenit. Quibus summo cum periculo superatis duabusque navibus amissis in dextra ripa ancoras poni iussit<sup>4)</sup>. Dum Nearchus classem vi aquae graviter adflectam reficit, ipse expeditione in finitimas gentes facta eas Mallis auxilio venire prohibuit<sup>5)</sup>. Cum lid castra rediisset, Hephaestio et Craterus et Philippus cum copiis ad eundem locum convenerant. Iam omnia, quae ad expeditionem

1) Arr. VI, 4, 1.

2) In anabasi Arrianus hac de re silet, sed Ind. 19, 4 Nearchum haud dubie secutus commemorat. Quo loco ab anabasi eo tantum discrepat, quod Philippum statim initio ad Acesinam missum esse refert. Sed hac in re nihil est, quod offendant. Nam Arrianus in Indica has res breviter enarrans Alexandrum nulla mora interposita ad Hydaspis et Acesinis confluentes devectum esse dicit et castra ad Sopithis regiam posita negligit. Itaque iis, quae in anabasi narrat, nequaquam repugnat.

3) Arr. VI, 4, 2. Cum Hydaapem flumen omnibus Iocis viginti stadia Jatum fuisse memoret, eum hoc loco Aristobulum inspexisse perspicuum est.

4) cf. append. XXXII.

5) Cuius expeditionis ab Hydaspis et Acesinis confluente susceptae etiam Diodorus XVII, 96, 1—5 et Curtius IX, 4, 2—14, mentionem faciunt cf. append. XXXI.

necessaria erant, moderatus est. Nearchum cum classe ad Hydraotis et Acesinis confluentes praemisit<sup>1)</sup>, ubi expeditione confecta rursus exercitus partes dispersas in unum coniungere destinaverat. Philippum et ex Hephaestionis copiis elephantos Polysperchontisque legionem<sup>2)</sup> in dextram-Hydaspis fluminis ripam traiecit et Craterum, qui in ea ripa tendebat, iis praeposuit. Craterum cum omnibus copiis tribus post diebus eundem locum petere iussit. Sic Indi fluminis ripa valido praesidio firmata, cum ceteris copiis hostem adgredi decrevit, et impetum ita instituit, ut hostes undique inclusos opprimeret. Qua re Hephaestionem et tribus post diebus Ptolemaeum praemisit, ut hostes, si qui fugere conarentur, interciperent<sup>3)</sup>, ipse duobus post Ptolemaeum diebus cum reliquis copiis<sup>4)</sup> per deserta<sup>5)</sup> interiorem terram petere statuit. Ad Acesinis et Hydraotis confluentes<sup>6)</sup> omnes convenire voluit.

1) Copias, quas navibus advexerat, certe retinuit et Nearchum aut cum classe sola, aut cum aliis copiis, quae ad expeditionem minus necessariae easent, pergere iussit.

2) Arr. VI, 5, 5 etiam hippotoxotae dicuntur, sed cum Alexander eos semper secum duxerit, neque tum ab hac ratione discesserit (Arr. VI, 6, 1), hic error aut Arriani aut librarii est.

3) Arr. VI, 5, 6: „Iko/XsitaXov • • • I-safJta ixksuasv”.

4) Arr. VI, 6, 1 hypaspistae, sagittarii, Agrianes, Pithonis phalanx dicitur xaXoupsvuvv ics'srai/tutv, equites sagittarii, dimidia pars ritv sraiputv enumerantur.

5) Lassen I p. 127.

6) Arr. VI, 5, 7: „ir.dv dh depixutvrai lc rdc cu/ijfoXdc zoit rs Wxsaivou xaX rou 'Tdpautrou”. Itaque non intellego, cur Droysen p. 1?S dicat, Hephaestionem ad Hydraotis ripas occupandas missum esse („Hephaestio sollte die Linie des Hyarotes besetzen”). Recta enim via ad Hydraotem non nisi per eadem deserta pervenire potuit, quae rex ipse peicurrere statuerat. Hephaestio secundum Acesinam iter facere iussus est, ut hostes, qui regem a septentrionali parte invehentem in meridiem fugerent, interciperet. Neque ex iis, quae postea facta sunt, ullo modo apparet, Hephaestionem Hydraote occupato hostes in ulteriorem huius fluminis ripam fugientes a transitu prohibuisse, sed rex ipse fugientes in ulteriorem ripam persecutus est.

Omnibus provisus profectus ') est et nulla mora interposita centum stadia processit. Cum milites paulisper quievisent, reliqua diei parte totaque nocte itinere absumptis quadringentisque stadiis confectis ad oppidum Mallorum ex improviso pervenit. Multis fugientium occisis, quia pedites nondum aderant, urbem equitatu cinxit. Illi cum subsecuti essent, Perdiccam cum sua et Cliti ala et Agrianibus aliud Mailorum oppidum obsidere iussit, dum ipse eo advenisset. Deinde urbem, quam oppugnare coeperat, impetu facto vi cepit eodemque die etiam arcem urbis ab incolis acerrime defensam expugnavit. Omnes qui eo confugerant — erant duo milia — caesi sunt<sup>2)</sup>. Interea Perdiccas, qui alterum oppidum ab incolis desertum invenerat, fugientes consecutus magnam inter eos caedem fecerat. Quae cum audivisset, Alexander statim profectus maximo itinere facto postero die mane ad Hydraotem pervenit. Neque vero fugientes omnes intercipere potuit: maior enim pars in ulteriore ripa iam versabatur, reliquos adgressus una cum iis flumen transiit. Barbari in oppidum munitum<sup>3)</sup> haud procul situm perfugerunt. Cum pedites subvenissent, Pithonem cum phalange duabusque equitum alis ad oppidum misit. Qui locum vi cepit incolisque aut caesis aut captis in castra, quae in Hydraotis ripa posita

1) Arr. VI, 6, 1 sq. Diodorus et Curtius eius urbis oppugnationem describunt, ubi Alexander vulneratus est; cetera omnia omittunt (cf. append. XXXV). Strabo — Aristobulum nimirum secutus — XV, 1, 33 p. 701 recte Mallorum, non Oxydracorum, urbem fuisse dicit.

2) Hanc urbem D r o y s e n p. 179 Agalassa vocat, quod nomen apud Diodorum et Curtium invenitur. Sane intercedit aliqua similitudo inter huius urbis obsidionem et eam, quam Curtius IX, 4, 5 describit, sed similitudo non est magna. Verba, quae ibi apud hunc exstant: „amne superato“ D r o y s e n ad Acesinem refert, quem Alexander denuo transire debebat cum a Sibus in dextra ripa incolentibus ad Mallos contenderet. Equidem malim, ea, quae Diodorus et Curtius praebent, ad ea referri, quae Arrianus infra Vi, 7, 4—6 de Brahmanum oppidi obsidione narrat (cf. append. XXXIII).

3) Adnoto, omnium horum locorum situm definiri non posse.

erant ')i rediit. Ubi milites refecti sunt. Alexander Brahmanum quandam urbem petiit, in quam multos Mallos confugisse compererat. Impetu facto incolas in arcem submovet, sed milites, qui temere invaserant, ab oppidanis fortiter resistentibus partim expelluntur, partim<sup>1)</sup> interficiuntur. Deinde vero scalis admotis murisque subfossis, cum una turris concidisset, ipse rex primus in murum escendit. Quae cum vidissent, Macedones summo pugnandi studio incensi arcem uno impetu ceperunt. Indi vero ne tum quidem animis defecerunt, sed domibus incensis usque ad extremura spiritum pugnaverunt. Quinque milia caesa sunt, capti sunt admodum pauci<sup>2)</sup>.

Uno die militibus ad quietem dato postero fugientes persecutus omnes urbes ab incolis relictas invenit et ipsos in deserta confugisse certior factus est. Itaque ad Brahmanum urbem rediit militibusque refectis Pithonem et Demetrium<sup>4)</sup> ad flumen sc. Hydraotem misit, ut silvas perscrutarentur et, si qui resistere auderent, eos omnes opprimerent; cum ceteris copiis caput gentis petiit, sed ibi quoque incolas omnes profectos repperit. Confugerant autem trans flumen, ubi cum ceteris Mallis iuncti in adversa ripa considerant et decertare parati Macedonum impetum exspectabant. Erant ad quadraginta milia armatorum. Quo audito Alexander cum equitatu extemplo profectus ad Hydraotem rursus contendit, pedites subsequi iussit. In conspectu hostium flumen transgredi ausus barbaros cedentes persecutus est. Sed hi, cum solos equites adesse animadvertissent, subito in persequentes conversi proe-

1) Arr. VI, 7, 3: „*Ἐραβρῆ%iv rvntt- ἔc rii arpariir.eSto*“. Hinc conligendum est, castra non procul ab Ilyuraotis ripa posita esse, ubi milites longis itineribus fessi corpora cuiarent.

2) Arr. VI, 7, 4 viginti quinque dicit.

3) cf. append. XXXIII.

4) Arrianus VI, 8, 2 leviter armatorum *rd^stc* fuisse testatur: „*ti>; re airoi rjyouvro ayu;ra<; zai -pb~ rtiurotq t,-Iiii t> r a c e i ; ouuq wi-roic. iiaai havai r.nbc ro epyti>~.*

lium atrocissimum commiserunt. Alexander impetus vim aegre sustinuit, donec pedites subvenerunt. Tum vero Malli terga dederunt multisque suorum omissis in urbem finitimam, quae erat munitissima, perfugerunt. Alexander cum universis copiis secutus urbem postero die oppugnare statuit').

Postero die exercitu in duas partes diviso ab uno latere ipse impetum facere statuit, ab altero Perdiccam adgredi iussit<sup>2)</sup>. Accidit idem, quod saepius iam acciderat. Barbari enim, ubi hostes accedentes viderunt, moenibus relictis in arcem confugerunt. Itaque rex refracta porte in urbem invasit, paulo post Perdiccas quoque superatis muris advenit. Copiis iunctis extemplo arx coepta est oppugnari. Atque Alexander, dum alius alio modo moenia petere conatur neque cedit res, summo pugnandi ardore tractus scalam muro admotam conscendit; secuti sunt Peucestas et Leonnatus satellites. Abreas dimoerita altera scala enititur. Propugnatoribus aut occisis gladio aut scuto retrusis rex primus in muro visus est; ceteri quoque tres in pinnas evaserant, cum perincommode accidit, ut scalis subsequentium multitudine fractis quattuor illi viri a ceteris intercluderentur. Barbaris undique, et a turribus proximis et ex ipsa arce, ingentem vim telorum immittentibus primus rex in medios hostes desiluit et ad murum nisus, ne a tergo peteretur, ducem Indorum aliosque complures gladio lapidibusque interfecit. Quae minimo temporis momento facta sunt. Extemplo Peucestas et Leonnatus Abreasque, dum barbari propius accedere non ausi minus missilia fundunt, regem secuti se deiecerunt: Abreas statim sagitta ictus cecidit, ceteri duo hostibus ingrediendibus summo opere restiterunt. Paulo post Alexander sagitta per lori-

1) cf. *append.* XXXIV.

2) In obsidione enarranda ea quae Arrianus VI, 9, q. perhibet ita transseribo, ut leviores quoque res commemorem, quo facilius intellegi possit, quantum cum ceteris scriptoribus discrepet.

cam in pectus supra papillam vulneratus quanquam neglecto vulnere pugnare non desistebat, multo sanguine effuso concidit; Peucestas, qui sacrum scutum Iliacum ferebat, et Leonnatus, plurimis telis petiti hostium impetus aegre sustinebant. In summo vero discrimine primo pauci, deinde plures Macedonum supervenerunt, denique aperta porta omnis exercitus inrupit ereptoque e periculo rege caedem edidit atrocissimam neque cuiquam pepercit. Alexander semianimis clipeo impositus in castra iuxta oppidum posita latus est summaque diligentia curatus paulatim se recreavit').

Capta urbe gens erat pacata. Quid Hephaestio et Ptolemaeus interim ad Hydraotis et Acesinis confluentem gesserint, nusquam traditum est, sed non sine proeliis eo pervenisse videntur<sup>3)</sup>. Paulo post ad exercitum<sup>3)</sup> perlata est fama, regi mali aliquid accidisse. Atque milites summa sollicitudine adfecti de salute iam coeperant desperare, cum regem vivum esse nuntiatum est. Sed tantum aberat, ut nuntio fidem haberent, ut regis ipsius epistolam, qua brevi se in castra ven-

1) Arr. VI, 11, 1.2 nihil certi tradit, sed adnotat: „*o i p. k v dvifpa<J>av*” Critodemum Coum, *το yivoε 'Aax/v7rid<v>ry, sagittam evulsisso „enTeidvTa Tpv Tskrijv”*; et adicit, alios Perdiccam dicere. Fortasse Ptolemaeus neminem nominaverat, quanquam commemorasse eum de vulnere ex Arr. VI, 10, 1 apparet. Diodortis haec omittit. Curtius IX, b, 22 sq. illam relationem exhibet, sed medico nomen fuisse Critobulo dicit. Cui auctori attribuenda sit relatio, non liquet. Neque enim Plutarchus, qui c. 03 idem memorat, ullum nomen adfert. De iis, quae de hac expeditione a ceteris scriptoribus memoriae prodita sint, cf. *append.* XXXV.

2) Arr. VI, 11, 8: „*IT<>.e/iatoc dvafvypaifev . . . orpaTide . . . a>nbε rjyod/ievoc dkkac /JL d % e a # a i pd%ac xai -pdc dkkouc /Sapfjdpouc*”.

3) Errat Arrianus, quod VI, 12, 1 ea castra dicit, unde Alexander in Mallos profectus sit. („*ic TO arpard-edov, evHevnep dip/vrjiHr*) irti *rohε |lakkouc*). Quae iam dudum mota erant exercitusque ad confluentes processerat. Neque ea, quae infra narrat, huc quadrant. Itaque alio fonte atque supra usus esse videtur, atque cum ea quae praecedant Ptolemaeo tribuerimus hoc loco haud scio an Aristobulus lateat.



terveheretur, quae gens legatos non miserat, non constitit neque excursionem in barbaros fecit, sed Perdiccam cum copiis in ripam exposuit<sup>1)</sup> et gentem in deditionem accipere iussit. Qui peracto mandato cum rege, qui ad confluentem constiterat, copias iunxit. Non multo post Craterus cum ceteris copiis advenit, et naves advenerunt, quae in Xathris exaedificatae erant. -Ossadii quoque, qui soli se nondum subiecerant, legatos miserunt et se suaque omnia Alexandri potestati tradidere<sup>2)</sup>. Quibus effectis tota regio erat pacata, omnesque gentes, quae superiorem Indi fluminis partem accolebant, Macedonum imperio parebant. Eam regionem omnem Philippo provinciam permisit, quem iam pridem satrapam constituerat, urbemque ad ipsum confluens condidit, quam magnam et opulentam fore sperabat. Philippum igitur cum nonnulla copiarum parte<sup>3)</sup> ibi reliquit.

Cum ea, quae exciperent, gentes nondum subactae essent, certamen imminebat gravissimum. Inferioris enim regionis civitates ab iis plane diversae erant, quibuscum ad id tempus pugnaverant. Non enim liberi illi erant Indi, a ceteris contempti et legibus institutisque ab integra Brahmanum doctrina discrepantes, sed iisdem, quibus interioris Indiae incolae, legibus utebantur, regibus parebant, sacerdotum collegia

bavit, et mihi veri similis videtur, Abastanorum sedes in laeva ripa fuisse. Nam cum dextra ripa Craterus iter faceret, rex ei mandasset, ut gentem domaret, si Abastani illam regionem obtinuissent. Ceterum cf. append. XXXVII.

1) Arr. VI, 15, 1. Etsi Arrianus hoc non adnotat, tamen ex re ipsa efficitur. D r o y s e n p. 189 obscure narrat: „Nur die Abastaner (Ambastha) hatte Perdikkas im Vorfiberziehen zur Unterwerfung zwingen mfissen". Non minus obscure L a s s e n p. 181/2: „Hier fuhrte ihm Perdikkas sein Heer zu; unterwegs hatte er selbst das freie Volk der Abastaner unterworfen", quasi Perdiccas omnibus copiis terrestribus praepositus fuerit.

2) Arr. VI, 15, 1. De hac gente nihil coinpertum habemus (cf. L a s s e n II p. 181 adn. 4). D r o y s e n eius ne mentionem quidem facit.

3) Arr. VI, 15, 2 Thraces omnes et electi omnium ordinum dicuntur.

colebant et venerabantur. Unus Sambus<sup>1)</sup> princeps Alexandrum legatione adiit regnumque retinuit. Sed nequiquam rex exspectavit, dum ceterarum civitatum principes aut ipsi obviam irent, aut legatos saltem mitterent: omnes externum imperium abnuebant. Qua re fieri non poterat, quin rursus ad arma res deduceretur. Hoc bellum ab Arriano sic enarratum est, ut, quid factum sit, cum aliqua veritatis specie adsequi possimus. Deteriores sriptores nihil praebent, quod notatu dignum videatur.

Cum castra moverentur, Alexander rursus naves conscendit, Craterura flumen transgressum in laeva ripa copias elephantosque ducere iussit, quae regio agmini expedito magis idonea erat et ab infestis nationibus incolebatur<sup>2)</sup>. Sed id quoque respexisse videtur, quod montes in dextra Indi fluminis ripa ad meridiem pertinentes paulo infra confluens in occidentem versus flectuntur longiusque a flumine recedunt, ut lata inter flumen et montes pateat planities. Itaque, cum haec loca ipse percurrere destinasset, Cratero imperavit, ut in ulteriore ripa rem gereret.

Proxima gens sua sponte in deditionem venisse videtur; neque enim de proeliis factis quicquam traditum habemus. Erat Sogdorum<sup>3)</sup> gens, ad quam classis secundo amne decur-

1) Arr. VI, 15, 3: „IdijJov .. . των βρωσιων Ἰδωων ἀσπιδουχοῦντων ἀοροῖς καὶ ταορατιστῶν". Quo tempore potissimum Sambus legatos miserit, non liquet.

2) Arr. VI, 15, 4.

3) Solus Arrianus VI, 15, 4 huius gentis mentionem facit. D r o y s e n p. 190 et adn. 1 Sogdos eandem gentem esse iudicat, quae a Diodoro XVU, 102, 4 Ζβδρεσ (cf. append. XXXVII), ab Indis <?udra vocatur. L a s s e n II p. 183 eos iure distinguit, sed male Diodori et Arriani relationes conectit, cum Alexandrum primum ad Sodras, deinde ad Sogdos pervenisse narret. De situ urbis, ab Alexandro conditae, nihil certi statui potest: hominum doctorum sententiae a L a s s e n o I. I. enumerantur. Ceterum adnoto, L a s s e n u m eam, quam profert, coniecturam de situ urbis, Curtii IX, 8, 8 testimonio probare, quo Alexander „quarto die" ad gentes illas

rit. Eo loco Graterus classem convenit. Inde ab hoc loco inferioris provinciae fines incipere rex voluit, quae omnem usque ad oceanum regionem amplectebatur. Satrapam provinciae Pithonem fecit, Agenoris filium, oppidumque ibi condidit et portu navalibusque instruxit. Sed nova provincia nondum subacta erat. Haec proelia postrema subeunda erant militibus tot laboribus fessis. Omnia, quae ad bellum necessaria erant, a rege summa cum diligentia provisa sunt. Craterum enim in laeva fluminis ripa iter facere iussit<sup>1)</sup>, ipse cum classe profectus est et dextram ripam subigere statuit.

Proximum erat Musicani regnum<sup>2)</sup>: situm erat in utraque<sup>3)</sup> fluminis ripa omniumque rerum copia abundabat. Quem ut inopinantem opprimeret, quantum maxime potuit, maturavit iter tantaque celeritate cum classe decurrit<sup>4)</sup>, ut in fines regni

pervenisset, ubi urbem conderet. Quanquam vel per se non licet diversas relationes confundere, neque ex Curtio quicquam concludi potest, cum quatuor illi dies a Sabarcum finibus numerentur, de quibus nihil acceperimus, denique numerus mihi quidem suspectus videtur (cf. Curt. IX, 6, 3).

1) Arr. VI, 15, 5: „xai Kpdrspov pkv sxTzkr-st uufe- t-uv rj arparta". Hinc non elucet, utra ripa Craterus profectus sit. Sed per se veri similis est, eum in eadem, qua advenisset, ripa mansisse. Transmissus enim erat in laevam ripam, ut gentes infestas coecreret, neque id munus iam exsecutus erat. Atque cum ex iis, quae sequuntur, regem in dextra ripa rem gessisse appareat, in adversa quoque ripa exercitu opus fuit. Nihilominus Droyesen p. 193 adn. 1 Craterum iam ad Alexaidriam Sogdianam in dextram ripam rursus transgressum esse contendit. Ceterum in codicibus Arriani addita sunt verba: *Sta. ri*- 'Apa/wrww xai Jpdywv yf/-, quae interpolata esse Schmi eder recte cognovit. (cf. ed. Kru egcri mai. II p. 246)

2) De Musicano cf. Arr. VI, 15, 5—7, quem solum auctorem sequor. De nomine principis et gentis cf. ea, quae Lassen II p. 185 adn. 5 adnotavit.

3) Hoc per se apparet, quia ne postea quidem illa regio flumine disiuncta erat.

4) Non intellego, cur Droyesen p. 193 narrot: „er fuhr mOglichst schnell stromabwärts in jonen Indusarm hinein, der gegen die Berge hin und zu der Residenz des Musicaus fiihrt".

prius perveniret, quam Musicanus de periculo imminente certior factus esset. Quam ob rem aperte resistere non est ausus, sed dimissa superbia Alexandro obviam venit et se peccasse confessus se suaque omnia victoris potestati modeste et submisce permisit. Alexander in urbem<sup>1)</sup> dextrae fluminis ripae continentem<sup>2)</sup> sollemniter ingressus Musicano ignovit regnumque reddidit. Sed quo facilius gentem infidam coecreret, Craterum arcem urbis communire praesidioque firmare iussit. Itaque Craterus cum parte copiarum, quas adduxerat, flumen transgressus<sup>3)</sup> communiendae arci operam dedit. In laeva ripa Pitho<sup>4)</sup> cum reliquis copiis relictus est, ut regionem percurreret et pacaret.

Rex aliquamdiu ad Musicani oppidum moratus est et ipse operi faciendo consuluit. Ubi moenia exaedificata sunt praesidiumque impositum est, Craterum in castris ad fluminis ripam positus reliquit, classem ibidem remanere iussit reditumque suum exspectare; cum sagittariis, Agrianibus equitatuque, quem navibus advexerat, profectus est<sup>5)</sup> et Oxycani

1) Quae ab hominibus doctis de situ huius oppidi disputata sunt, a Droyesen p. 193 adn. 1 et Lassen II p. 185 et adn. 3 commemorantur. Omnes icnsentiunt, Musicani oppidum eum esse locum, qui nunc Alor dicitur. Alor in dextra ripa antiqui Indi fluminis cursus positum erat; in eadem regione Musicani oppidum situm fuisse, ex ipsa re apparet (cf. append. XXXVIII).

2) De situ horum locorum cf. append. XXXVIII.

3) Craterum usque ad eum locum laeva fluminis ripa iter fecisse, adversus Droyesen supra probavi. Lassen de hac re tacet.

4) Laevam fluminis ripam copiis non plane nudatam esse, consentaneum est. Pithonem vero ibi remansisse ex Arr. VI, 17, 1 conligere licet (cf. ea, quae infra de hac re adnotavi) Ceterum neque Droyesen, neque Lassen hoc animadvertit, sed Arriani narrationem temere fere exscripserunt.

5) Arr. VI, 16, 1. 2. Profectum esse Alexandrum terrestri itinere, cum per se, tum ex Arr. VI, 17, 1 apparet, ubi rex subactis omnibus gentibus ad castra et classem rediisse dicitur: *raura bs Sta-patjd/szvur i-i rb arparbrzbbv rs ir.avf/xz xo.i rbv arbkov*-. Redire autem non po-

regis fines invasit, qui regionem australem obtinebat. Qui neque ipse obviam venerat, neque legatos miserat, sed ad resistendum paratus esse videbatur. Non multum expeditio praebuit laborum: duo oppida, quae maxima erant gentis, primo impetu capiuntur, in altero ipse Oxycanus pugnans interficitur. Alexander non clementem se praebuit in victos, sed ob contumaciam Indorum iratus oppida militibus diripienda concessit. Quo severitatis exemplo edito, barbari animis deficientes resistere non amplius ausi sunt, sed ubi Macedonum exercitus adventaverat, ipsi portas aperiebant. Postquam omnia oppida excepta sunt, nuntius adlatum est, Sambum, finitimae gentis principem, profugisse<sup>1)</sup>. Veteres cum Musicano inimicitias gerebat et iam pridem in deditionem venerat. Tum vero, cum inimicum in gratia apud Alexandrum esse audisset, de sua salute metuere coeperat et caeco terrore percussus deserto regno in loca abdita confugerat<sup>2)</sup>. Qua re nuntiata Alexander, ne seditio exardesceret, in eam regionem iter maturavit. Brevi animadvertit, vanam fuisse curam. Nam post-

terat, nisi eo, unde profectus erat. Male igitur Lassen II, 186 Alexandrum cum classe profectum esse et aliquanto infra copias in ripam exposuisse putat. Non melius Droysen p. 196 adn. 2, etsi Alexandrum terra profectum esse recte dicit, classem et exercitum non remansisse, sed in meridiem versus processisse existimat. Quod idem Droysen Craterum omnibus ad reditum paratis iam supra ad Sukkor oppidum, quod nunc vocatur, relictum esse opinatur („während Krateros bei Sukkor auf den Befehl zum Aufbruch wartend stehen geblieben war“), hoc perversum esse puto. (cf. ea, quae infra exposui). De nomine principis et gentis cf. ea, quae Lassen II p. 187 contulit. Apud Airianum princeps Oxycanus appellatur. Diodorus XVII, 102, 5, Curtius IX, 8, 11, Strabo XV, 1, 33, p. 701 eum Porticanum vocant et Curtius memorat, genti nomen fuisse Praestis. De his scriptoribus cf. append. XXXIX.

1) Arr. VI, 16, 3.

2) Droysen p. 195 et Lassen II p. 187 Diodorum secuti Sambum in ulteriorem Indi fluminis ripam fugisse putant. (cf. append. XXXIX).

quam ad urbem, quae caput erat gentis, pervenit<sup>3)</sup>, repperit portas apertas et ab incolis optimis voluntatibus receptus est. Ceterae quoque urbes ab incolis traditae sunt<sup>4)</sup>. Unum oppidum, cuius incolae a Brahmanis incitati imperium detrectabant, vi captum est: sacerdotes omnes, qui seditionis auctores erant, gravissimis suppliciis adfecti sunt. Interim in alia regione, quae pacata iam videbatur, gravis et periculosus tumultus exortus est. Nam Musicanum rupto foedere defecisse nuntiatum est. Sed barbari temere repugnantes facile oppressi sunt. Ipse enim princeps periculum sustinere non est ausus, sed trans Indum flumen in ulteriorem regionem profugit<sup>5)</sup>. Quem ad opprimendum Alexander Pithonem, qui in ea regione\*) rem gerebat, proficisci iubet, ipse cum iis copiis, quas secum habebat, fines Musicani invadit, oppida omnia vi capit, capta vel diruit vel arcibus communitis praesidiis firmat, magnum Indorum numerum sub corona vendit. E regione omni domita et pacata ad eum locum rediit, ubi reliqua exercitus pars et classis remanserant. Eodem Pitho Musicanum cap-

1) Urbi nomen fuisse Sindimana Arrianus VI, 16, 4 tradidit. De nomine et situ urbis cf. ea, quae Lassen p. 188 adn. 1 conlegit.

2) Arr. VI, 16, 4. 5. Lassen p. 187 et 188 cum Diodoro et Curtio contendit, Alexandrum omnia eius regionis oppida expugnasse, expugnata diruisse et plurimos incolas occidisse vel sub corona vendidisse. Contra Droysen Arriani auctoritatem sequitur. (cf. append XXXIX).

3) Fugisse Musicanum, Droysen p. 196 recte videtur conlegisse. Aliter enim intellegi nequit, cur Alexander non ipse eum adgressus sit Fugisse autem illum in ulteriorem ripam consentaneum est. Nam cum maior pars Macedonum et ipse Alexander dextram ripam tenerent, princeps sperare poterat, se ibi celerius in tutum perventurum esse.

4) Sic accipienda sunt ea, quae apud Arrianum VI, 17, 1 tradita habemus: „xai ini TOUTOV /ikv ixnipnsi lkiiMuva TOV \\fr)vopoi oaTpdxyv \$bv oTfiaua dnoypwayj“. Pavum accurate Droysen p. 196: „Er aante Peithon nach, ihn zu verfolgen“. Nec melius Lassen p. 189: „Alexander sandte dem Satrapen Pithon hinreichende Heeresmacht mit dem Befehle zu etc“. Tenendum enim est, regem minorem copiarum partem secum duxisse, maiorem in castris reliquisse.

tum adduxit, quem rex una cum Brahmanis defectionis auctoribus suspendi iussit. Hoc severitatis exemplo perterritus Patalorum ') princeps, qui omnem usque ad Oceanum regionem obtinebat, ipse regi obviam venit<sup>3)</sup>) et se imperata facturum esse pollicetur. Alexander eum benigne exceptum in regnum remisit omniaque, quae exercitui necessaria essent, providere iussit.

Iam bellum erat finitum: neque quicquam relictum erat hostium, neque proelia aut pericula erant subeunda. Itaque Alexander, cum universum exercitum usque ad fluminis ostia deducere nollet, iam tum reditus consilium animo agitare coepit. Craterum enim, qui iam in dextra ripa versabatur, cum nonnulla exercitus parte per Arachotas et Zarangas in Carmaniam contendere iussit<sup>3)</sup>). Cum ceteris copiis usque ad

1) Arr. VI, 17, 2. Curt. IX, 8, 28 alium fontem aecutus principi nomen fuisse Moeri perhibet. Quod de nomine Lassen p. 190 adn. conjecturam protulit a Droysen receptam. De situ oppidi Patalorum cf. ea, quae Lassen p. 191 composuit.

2) Nimirum in castra illa, quae supra diximus, neque intellego, cur Droysen p. 197 eum Alexandriam advenisse dicat: „Er kam nach Alexandria". Quam enini intellegat Alexandriam, dubium est. Noque enim de Sogdiana cogitari potest, neque de ea, quae ad Indi et Acesinis confluentem condita erat. Non magis autem Musicani regia a Cratero communita accipi potest, quia Droysen p. 196 adn. 2 classem et exercitum non remansisse ibi. sed in meridiem versus processisse opinatur.

3) Arr. VI, 17, 3 Attali, Meleagri, Antigenis T«?e(?), sagittariorum pars, lassi ex comitibus et ceteris Macedonibus, elephantum omnes dicuntur. Diodorus et Curtius hoc non commemorant, nisi quod hic infra IX, 10, 19 Crateri quasi praeteritis mentionem facit. Contra Justinus Polypercon tam exercita Babylona missum esse refert. Quem errorem inde ortum esse puto, quod Polypercon una cum Cratero veteranos milites Opide in Macedoniam reduxisse traditur Arr. VII, 12, 4.— Droysen p. 193 adn. 1 falso Craterum iam ad Alexandriam Sogdianam in dextram fluminis ripam transgressum et copias Babylona reducere iussum esse, post vero, cum Indorum glisceret seditio, constitisse. Qua re verba illa Arr. VI, 15, 5: „xac Kf>d-zsoov p.iv £x-£p-'t ivjth- \$bv TJ orpaTca ded rf/- 'ApayuJTtoiv xal A/idyvoiv

\*fyfi- non tam

mare procedere destinavit: atque Hephaestioni imperavit, ut exercitum terrestrem dextra fluminis ripa duceret, Pithoni, ut cum hippacontistis et Agrianibus in ulteriorem ripam rediret, in oppida, quae munivisset, colonos deduceret omnibusque compositis Patala regem conveniret'). Reliquas copias in naves imposuit. Ventum est Patala sine ullo detrimento, nisi quod tertio die nuntius adlatus est, Patalensium principem cum plerisque incolis effugisse<sup>3)</sup>). Quam ob rem Alexander citato cursu devectus urbem ab inoolis desertam invenit. Neque tamen regionem vastavit aut fugientes persecutus est, sed, ne tardaret reditum, satis habuit milites maxime expeditos emittere, qui fugitivos consequerentur et ad agrorum cultum revocarent. Clementia effecit, ut plurimi redirent<sup>3)</sup>).

p. 189 adn. 2 iure Craterum non Alexandria Sogdiana, sed ex loco quodam infra sito profectum esse dicit, sed errare mihi videtur, cum locum illum non Musicani urbem, sed alium fuisse putat in Oxycani vel Porticani regno situm.

1) Arr. VI, 17, 4: „llsc»wva • • • £c TIV £-' ixava Tyiryv TOO Ivbob bcacijcSdaag-. Sine dubio laeva fluminis ripa accipienda est. Droysen p. 200 adn. 2, etsi eodem modo Arriani verba interpretatur, tamen ea oca intellegit, quae Alexander in Musicani finibus comminiverat (Arr. VI, 17, 1). Sane verba ita possunt accipi, sed obstat, quod rex, si quidem recte rem intellego, non in laeva, sed in dextra ripa bellum gessit neque omnino in illam regionem pervenit. Itaque suspicor, alia intellegenda esse loca, quae Pitho ipse ibi communisset.

2) Arr. VI, 17, 5. 6. Quo fugerit, non constat, quanquam Curtius IX, 8, 29 eum in montes profugisse perhibet sc. eos montes, qui ad occidentem vergebant. Sed hoc non constat. cf. proximam adnotationem. Per se veri similis est, eum non in montes, sed trans Indum flumen in desertum effugisse.

3) Arr. VI, 17, 6. Curtius aliam relationem minus probabilem praebet, cum IX, 8, 28 Alexandrum oppido potitum agrosque populatum esse tradit. Itaque ex deteriore fonte haec hausit. Diodorus, qui finem expeditionis brevissime describit, oppidum commemorat, sed XVII, 104, 1 regem a litore maris redeuntem in urbem Tauala pervenisse narrat, ubi bini reges civitati praesent et senum consilium plurimum valeret. Hoc iustum ad l'atula, an aliud oppidum referendum sit, non liquet. Sane ex scriptore sumptum est, qui ab Arriani fontibus alienis esset.

Patalis diutius moratus est. Nam cum locum opportunum esse cognovisset — Indus enim flumen, qui ibi in duo flumina diffundebatur, spem praebuit, oppidum copia negotiatorum et commeatum celebre futurum —, Hephaestionem, qui advenerat, arcem communire et praesidio firmare iussit, in deserta, quae non procul ab urbe incipiebant, misit, qui puteos effoderent terramque ad habitandum utilem redderent, portum et navalia instituenda curavit<sup>1)</sup>.

Dum haec fiunt, relicta maiore parte exercitus, cum reliquis copiis per dextrum flumen ad ostium visendum profectus est, ita ut Leonnatus cum mille equitibus et octo milibus peditum in laeva fluminis ripa iter faceret, ipse cum celerrimis navibus decurreret. Non sine detrimento pervenit ad mare. Nam cum omnes fluminis accolae profugissent, profecta est classis sine locorum peritis et vasto ignotoque flumine temere devehebatur<sup>2)</sup>. Postero die orta est tempestas ventusque flare coepit adversissimus navigantibus, qui ingentes fluctus movebat tantumque in periculum classem adduxit, ut plurimae naves adfligerentur, nonnullae prorsus frangerentur, ceterae celeriter ad ripam appulsae ultimum discrimen effugerent. Dum classis reficitur, Alexander maxime expeditos in interiorem terram emisit, ut incolas aliquos captos adducerent. Nactus locorum peritos rursus naves conscendit. Ripae fluminis longius longiusque abscedebant et aqua in immensam latitudinem patebat. Cum ventus insuper adversus a mari reflaret neque remigia amplius vim aquae sustinere possent, in canalem confugerunt, quem duces ostenderant. Ibi dum morantur, marinorum aestuum intercessit et recessus et accessus, et Graeci oceani naturae ignari primum spectaculum illud

1) Arr. VI, 18, 1. 2.

2) Arr. VI, 18, 4. 5. Verba, quae sunt: <:z syovrt rJl wfcot r)/-s/xbva Tou TZIXOU, oTi Tzs<psuys<av oi rauTrij 'Jyboi'' sic accipienda videntur, ut non locorum periti in itinere effugerint. sed classis sine ducibus profecta sit.

viderunt<sup>1)</sup>. Alexander naves adflictas, quantum fieri potuit, refecit et spectatores praemisit ad insulam, quam incolae in medio alveo sitam esse dicebant. Insulae nomen fuisse Cillutae Arrianus<sup>2)</sup> tradidit. Illi cum insulam idoneam esse renuntiassent, quo naves appharent, classem ad insulam manere iussit; cum celerrimis navigiis ad fluminis ostium contendit, ut ipse primus naturam locorum cognosceret. Ducenta stadia progressus aliam insulam procul visam conspexit, quae iam in mari sita erat. Quo facto ad classem rediit. Postero die sollemnibus sacris factis rursus ad alteram illam insulam profectus est, ubi item diis immolavit et sacra sollemnia edidit. Tum autem juvenili quodam studio maris visendi tractus in altum evectus est et Neptuno ceterisque maris diis sacrificavit, ut classem ineolumem ad Euphratem flumen perducerent. Quo facto Patala rediit.

Arcem ab Hephaestione communitam invenit; etiam Pitho effectis omnibus, quae mandata erant, cum exercitu advenerat. Alexander non diu moratus Hephaestioni imperavit, ut portum navaliaque conficeret — partem enim classis Patalis relinquere statuerat —, ipse cum Leonnato ad laevum fluminis ostium profectus est, ut huius quoque naturam exploraret. Pervenit in ingentis magnitudinis lacum aquam salsam continentem. Leonnatum cum plurimis navibus remanere adventumque suum exspectare iussit, ipse per ostium in mare evasit. Eam viam cum ad navigandum magis opportunam esse cognovisset, ad litus naves appulit et in terram egressus triduum per oram maritimam processit puteosque, qui navigantibus usui essent, effodi iussit. Deinde classem repetiit et partem exercitus ad litus emisit et opus coeptum perficere iussit. Cum ceteris copiis Patala rediit. Sed ante, quam proficisceretur, rursus ad lacum illum devectus portum ibi et

1) Arr. VI, 19, 1. 2.

2) Arr. VI, 19, 3. Ea quoque, quae sequuntur. ab Arriano tam luculenter narrata sunt, ut eum plane sequar.

navalia instituit, praesidium reliquit, frumentum comportari iussit. Provisis omnibus, quae ad navigandum necessaria erant, Patalis profectus in occidentem versus exercitum domum reducere coepit. Nearchus cum classe Patalis remansit, ut idoneum navigationi tempus exspectaret<sup>1)</sup>.

Ea, quae post haec gesta sunt, cum non tam ad expeditionem Indicam, quam ad reditum pertineant, in hac commentatione omitto.

1) De Diodoro et Curtio cf. *append. XL.*

### III. Appendix adnotationum.

#### i.

Fraenkel p. 15 tres adfert locos: Strab. XV p. 698 § 29, Diod. XVII, 95, 3—5, Curt. IX, 3, 20—24, ubi Diodorus et Curtius memorant, Alexandrum, ab Hyphasi flumine ad Acesinem cum rediisset, in ea regione, quae silvis abundaret, naves aedificari iussisse. Deinde eum urbibus post pugnam cum Poro factam conditis nomina dedisse et navibus conscensum flumine i. e. Acesine decurrisse. Strabo idem narrat, ita ut non ad Acesinem sed ad Hydaspem flumen id factum esse dicat, ubi re ipsa factum est. Pergit idem, in eadem silva „*iv rij kex&darj 5/)%*“ multas fuisse simias, quae quo modo capiantur diligentius describit. Iam cum Aelianus *TT. Zda>v* XVII, 25 idem narret et Clitarchum auctorem adferat, conligi licet, a Strabone quoque Clitarchum exscriptum esse. Inde vero, quod Strabo hoc loco ex Clitarcho sumpto verbis „*iv rjj Xeyjreiarj UXTJ*“ id, quod praecedat, respicere videatur, Fraenkel concludit, ea quoque, quae apud Strabonem praecedant, a Clitarcho petita esse et Clitarcho quidem auctore Alexandrum non Acesine sed Hydaspem flumine defluxisse. Atque cum Diodorum et Curtium, quippe qui cum Strabone plane consentiant, eodem fonte usos esse consentaneum sit, cum autem non Hydaspem sed Acesinem commemorent — Iustinus quoque XII, 9, 1 Acesinem dicit —, Fraenkel efficit, eos non ipsum Clitarchum ad manus habuisse, sed alium auctorem, qui Clitarchum exscripsisset nominaque fluminum inter se confudisset. Quae Fraenkelii coniectura, quamvis

sit subtilis, tamen mihi non probabilis videtur. Primum enim ex illis Strabonis verbis non sequitur, ea quoque, quae praecedunt, ex Clitarcho sumpta esse, deinde etiam si Clitarchus fuerit auctor, statui licet, Strabonem errorem illius tacite conrexisse. Itaque hic locus levioris est momenti, neque ab eo velut fundamento proficiscendum est. Quod Fraenkel fecit, qui supra alios locos a Koehlero adlatos frustra vituperaverit. Mirum est, quod hoc loco scriptori, qui notus sit, tam gravis error non sit attribuendus, sed ignotus aliquis incusatur; aliis enim locis scriptoribus, qui exstant, obtrectare et obscuros nescio quos laudibus ad caelum efferre amant.

## II.

Arrianus eum semper Taxilem appellat (IV, 22, 6 et 7; V, 8,2 et 5; 18,6; 20,4); idem nomen Strabo usurpat XV p. 698 § 28, cum Diodorus et Curtius eum Mophim vel Omphim vocent et, postquam Alexander urbem eius ingressus esset, nomen Taxilis assumpsisse memorent (Diod. XVII, 86, 7; Curt. VIII, 12, 14). Iam supra adnotavi, Arrianum de Taxilis cum Alexandro usu nihil referre, sed intercessisse usum ex IV, 22, 6 sequitur, ubi Taxilem primum commemorat. Itaque, quae illi exhibent, ex bono fonte sumpta esse consentaneum est. Inde vero, quod Taxilis ad Alexandrum legationis non suo loco mentionem faciunt, sed cum hic Indum flumen iam esset transgressus, efficiendum est, eos eodem usos esse auctore, quem auctorem Arrianus primo loco non adhiberet. Quis fuerit auctor, dicere non ausim. Adnoto, Diodori et Curtii fontes me non eos intellegere scriptores, quos ipsi ad manus habuerint, sed eos, qui primi rem memoraverint. De nomine reguli quod differunt, dubito, utrum ipsis, an auctoribus, an librariis vitio vertam.

## III.

Arr. IV, 22, 3. Fraenkel 1. 1. p. 186 et 187 Arrianum impugnat. Cum enim Aristobulo auctore (Strabo XV,

§ 17 p. 691) Alexander ex Paropamisadis, qui sub Caucaso monte a parte meridiana incolebant, *psTa duop.de -zXrfidmv* i. e. ineunte mense Novembri profectus sit, Fraenkel, quanquam Aristobulum Paropamisadas dicere, non Bactra, non ignorat, tamen Aristobuli testimonium cum Arriani pugnare contendit. Putat enim ea, quae Arrianus IV, 22, 3—6 Alexandrum egisse memoret, pauciora esse, quam ut quinque vel sex mensium numerus compleatur, atque si Alexandrum verno tempore Bactris profectum esse sumamus, tempus quod praecedat, non sufficere dicit ad Sogdianarum arcium oppugnationem, quae Arrianus supra IV, 18, 4—21, 9 enarraverit. Quare Fraenkel Arriani verba „*ετρηxovToc ρποc-* corrupta esse ratus scribendum proponit *κεijxovToc ifipouc-*, ita ut Alexandrum sub finem aestatis anni 327 Bactris profectum esse et ineunte hieme eiusdem anni ex Paropamisadis iter perrexisse putandum sit. Sed obici potest, Arrianum nequaquam Aristobuli testimonio plane repugnare. Immo tenendum est, quinque vel sex menses consumptos esse, dum Alexander Bactris ad Cophenem flumen perveniret, qui Indos a Paropamisadis seiungeret. Substitisse eum in Paropamisadis ibique diutius moratum esse ex Arriani verbis § 6 elucet „*npou^ojpet d>c l-l TOV Kojipyva, TZpo-zip<pac xr) puxa d>g TOV TasiAyv . . . xa\ Ta\$ilr,c TB xdt nt dUot u-ap%ot dnrjvuov-*. Nam cum Bactris iam praeconem praemissum esse non crediderim, in Paropamisadis id factum esse censeo. Idem ex ipsius Aristobuli fragmento conligi posse mihi videtur; nam quod profectum esse Alexandrum ex Paropamisadis tradit, cum de huius belli temporibus omnino agat, haud scio an indicaverit, ex ea regione expeditionem susceptum esse. Itaque Alexandrum mansisse ibi aliquantum temporis veri simile est. Sane cum tempus postulaverat, incredibilem in agendo adhibere solebat celeritatem, sed interdum diutius, quam crederes, morabatur. Velut Taxila eum ineunte vere pervenisse Aristobulus est auctor (apud Strabonem XV p. 691 § 17: „*TOU <? eapoc dp%oiivou xaTafteplrxoTcov eic TU neoia xat rxokv Td\$da eupe-*

?-e#j?"), sed ad Hydaspem factam esse pugnam nonnullis post mensibus solstitiali tempore Arrianus V, 9, 4 testatur. Arcium illarum oppugnationem Alexander maturasse videtur, cum eodem anno Indiam petiturus et bellum acerrime paraturus esset. Alteram rupem maturo anni tempore captam esse Arrianus IV, 21, 10 satis dilucide significat, ubi Macedonas in oppugnatione magnis nivibus graviter adfiectos esse dicat.

## IV.

In textu, qui dicitur, Arrianum plane secutus sum. Diodori libri haec quidem pars intercidit. Quae Curtius VIII, 10 init. praebet, probabilia sunt. Nam quae apud Arrianum ex re ipsa conligenda sunt, ea aperte commemorat. Tradit enim, Craterum cum phalange sequi iussum supervenisse, postquam rex hostes levi proelio in urbem proximam compulisset. Alexandrum vulneratum et incolas trucidatos esse item narrat, sed discrepat, quod regem ipsum militibus imperasse dicit, ne cui parcerent. Itaque non eodem quo Arrianus fonte usus esse videtur, sed fonte bono. Fortasse apud Curtium Aristobulus latet. Fraenkel enim p. 249—251 et p. 279 argumentis non improbabilibus nisus Arrianum, hoc loco Ptolemaeum secutum esse suspicatur. A Curtio Clitarchum adhibitum esse contendit. Argumentum autem, quod adfert, satis infirmum est. Dicit enim scriptores, quamvis in universum consentiant, tamen singulis in rebus differre. Hoc verum est, sed id, quod Fraenkel efficit, inde non efficitur. Adnotaverim, unam, quam invenerit, discrepantiam nullam esse. Curtius enim a militibus „etiam in tecta saevitum" esse refert, quod apud Arrianum desiderari Fraenkel adfirmat. At Arrianus IV, 23, 5 plane dicit „*rr*)v *nokv Se xaTaoxdvbac*"; quod idem est. Fraenkel p. 250 adn. 1 concedit, etiam de Aristobulo cogitari posse, sed spernit hanc sententiam, quia Diodori libri ea interierit pars, quae huc spectaret, neque fieri possit, ut huius relatio cum Curtii comparetur. Sed etiam si hoc fieri possit, non multum inde lucremur. Equi-

dem hoc loco Arriano Ptolemaeum, Aristobulum Curtio auctorem attribuerim. Hoc si statuimus, Aristobulus, qui imperasse illud regem memoret, durius de Alexander iudicavit, quam Ptolemaeus. Sin Clitarchum dicimus, in hunc idem valet. In iis, quae sequuntur, Curtius deteriorem sequitur fontem, nam fabulam illam de Nysa urbe profert, quam in hac commentatione, silentio praetereo.

## V.

Arr. IV, 24, 1 hypaspistas et sagittarios Agrianasque commemorat, praeterea Coeni et Attali legiones, alam regiam (*TO dyrjpa TOJV kTaiπwv*), ceterorum comitum circiter quattuor alas (*xai TOJV diXkajv 'eTaiπwv hc. Teaoapac pdkara 'Tnapyiac*). Non constat, quot fuerint equitum alae in exercitu Alexandri. (cf. Hans Droyesen l. 1. p. 22 sq.). Initio comitum equitatus in octo erat divisa turmas (;'a?), quae ab Arr. 111, 11, 8 omnes enumerantur. In expeditione Indica hipparchiae commemorantur (cf. Koehly et Euestow p. 225) non solum comitum sed etiam ceterorum equitum (Arr. V, 12, 2; 13, 4 etc.) Ex Arr. VII, 6, 4 concludi potest, praeter alam regiam quattuor fuisse hipparchias. quia eo loco Macedones aegre ferunt, quod rex barbaros in comitum numerum receperit et ex iis quintam effecerit hipparchiam. Quattuor si statuimus, eo offendimus, quod in expeditione Indica sex ab Arriano commemorantur hipparchiarum duces (Craterus, Perdicas, Hephaestio, Demetrius. Coenus, Clitus), ita ut haud dubie comitum hipparchiae intellegendae sint. (Loci ab H. Droyeseno p. 23 conlecti sunt). Itaque alter locus alteri repugnat, praesertim cum ex hoc loco conligi possit, octo fuisse hipparchias. I. G. Droyesen ?/ac et '*atirapyiac* hoc loco confundere videtur, nam contradictione illa minime offenditur. Sed interesse inter haec nomina, nemo est, qui neget. Arrianus enim certe non temere mutavit, sed quae invenit in fontibus, ea servavit. Sola autem nomina mutata esse credibile non est. Quo modo expedienda sit haec difficultas nescio. Tenendum est, hip-

parchias maiores equitum numeros fuisse, nam cum, quae fuissent, *uat* in binos *hr/ouc*, iam essent divisae (Arr. III, 16,11), veri simile non est, equitum partes rursus contractas esse. Oeterum adnotaverim, Arrianum hoc loco non certum hipparchiarum numerum tradidisse. Dicit enim *ic Teooapac, j i d l i a T a 'ntTap/iac*, quasi aut numerus parum constet, aut non fuerint integrae alae. Sed nihil inde efficere audeo.

## VI.

Locus est corruptus. Primum enim non liquet, quod intellegendum sit flumen. De Ghoe (Khonar) cogitari nequit, cuius cursum Alexander etiam tum secutus esse videatur. Qua re Kiepertii coniectura (Choaspes enim idem esset quod Choes) parum probabilis est. Non magis Suastum conicere licet, qui longius absit. Deinde ex iis, quae apud Arrianum sequuntur IV, 24, 1: „*xdi dtehsww TtoXXijv bdbv deuzepahc dipixeTo rtpbc tijv Tibhv*“, nomen oppidi desiderari apparet. Riller I. 1. nihilo minus Euaspla Choasphem flumen esse putat, qui a Curtio VIII, 10, 22 commemoratur, i. e. eundem Choem, ita ut Nautaca oppidum non ad flumen, sed in interiore terra situm fuisse atque Alexandrum ad flumen rursus rediisse putandum sit. Sed obiciendum est, Arrianum sic non verbum „*7tpou/wpet*“, sed aliud verbum usurpaturum fuisse. Praeterea veri simile non est, Aspasiolorum principem copias quodam modo in tergo hostium coegisse, sed potius eum locum quaesivisse crediderim, ubi tutus resistere posset. In ipsis autem montibus rivus ille non est requirendus, quia montium transitus postea mentio fit (Arr. IV, 24, 6: „*u7tep^a/wv oh -d opyj*“) et Alexander in valle mansisse videtur. Quam ob rem Lassen II p. 138 adn. 3, cui nuper Droysen p. 106 adn. 3 se applicavit, Euaspla rivulum esse putat, qui ab oriente in Choem effundatur. Quem rivulum in tabulis, quae mihi praesto erant, non repperi. Itaque, Lassenum si sequimur, Alexander adverso flumine ad locum contendit, ubi aliud flumen cum Choe miscebatur et oppidum situm erant.

Sed antequam eius modi coniecturas proferamus, ipsa verba Arriani diligentius tractanda sunt. Proficiscendum mihi videtur esse a scriptura *EuaaitXa*, alteram enim eius esse puto, qui textum corruptum corrigere voluerit. Iam vero fluminis nomen, quod in *a* litteram exeat, prorsus inauditum est, deinde oppidi nomen requiri supra dixi, denique quae in textu, qui dicitur, exstat verborum conlocatio *rhv TtoTapbv TOV EudortXa*—ad Arriani sermonis consuetudinem minime quadrat. Qui semper, quantum scio, solita utitur verborum conlocatione, ut nomen fluminis inter articulum et appellativum ponat; nam loci IV, 25, 7: „*xdi TOV Ttoraphv Tbv inwvupov TTJC ydipac TOV foudiov yakenwe dityj*“ et V, 4, 3: „*TOUTOV rbv rtoraphv TOV /vdbv\**“ diversi sunt generis, atque quod V, 22, 3: „*TOU rtorapou TOU 'TSpaoJTou*“ legimus, Hydraotes flumen supra erat dictus. Qua re verba, quae sunt „*rbv rtotaphv TOV*“ delenda censeo et Euaspla vocem accentu in prima syllaba posito nomen esse urbis putaverim, eiusdem urbis, quam Curtius VIII, 10,19 Daedala appellat (cf. Just. XII, 7, 9). Iam Schmiederus hoc suspicatus est. Nomina urbium in *a* litteram exeuntia in hac Arriani libri parte saepius inveniuntur, velut Bazira, Massaga, Taxila, Sangala, Pattala. Interpolata sunt verba a librario, qui nomen fluminis desiderari putaret. Schuffert sine ulla dubitatione Euaspla Choem esse ratus p. 13 dicit: „so sehen wir Alexander sich in der Richtung des Flusses Euaspla in Bewegung setzen“, sed quo modo Arriani verba ad hanc explicationem quadrent, non explicat.

## VII.

Redeo ad Curtium. Qui postquam supra bono fonte usus eadem fere quae Amanus enarravit, hic, quanquam easdem res memorat, adeo ab eo discrepat, ut diversum fontem eum adhibuisse consentaneum sit. Neque de Aristobulo cogitare audeo, quia res bellicae nimis incuriose enarratae sunt. (Curt. VIII, 10, 19—21). Urbem Nautaca non commemorat, nisi

forte huc referimus quae VIII, 10, 7 de Nysa urbe narraturus dicit: „Inde domita ignobili gente ad Nysam urbem pervenit”. Tertiam urbem, cuius nomen apud Arrianum in voce „Euaspla” latere conicio, vel potius omnem regionem Daedala appellat. Deinde Alexander Acadira „transit” id est trans montes, quam urbem item combustam et desertam invenit. Qua re copiis divisim regionem percurrit, atque „Ptolemaeus plurimas urbes, Alexander maximas cepit: rursusque, quas distribuerat, copias iunxit”. Hoc admodum obscurum est. Equidem neque Curtium neque alium scriptorem, si quid probabile in fonte invenisset, id tanto opere corrupturum fuisse crediderim, sed iam in fonte primario haec tam confuse narrata fuisse puto. Qua re Aristobulum omitto. Iam ex deterioribus scriptoribus ad hunc locum optime omnium Clitarchus quadrat, quem, ut Ptolemaeo blandiretur, non semel falsa rettulisse ex loco Arriani notissimo (Arr. VI, 11, 7 et 8) apparet. Sane ex Curtii narratione vestigia eorum, quae facta sunt, cognosci possunt, sed vestigia obscuriora sunt. Itaque Acadira et Arigaeum idem oppidum esse et Daedala et Euaspla eundem locum significare et Curtio fuisse auctorem puto, quem Arrianus primo loco non adhiberet. Accedit, quod a Curtio nomina plane diversa traduntur. Aristobulum enim et Ptolemaeum in nominibus scribendis semper fere concinisse cum ex Arriano eluceat (cf. Arr. V, 20, 2; VI, 11, 4—6), ea, quae apud Curtium exstant, nomina, neque Ptolemaeo neque Aristobulo attribuerim, sed alii scriptori.

## VIII.

Scriptum habemus apud Arrianum IV, 25, 6: „rob~ 'Aypc-uvuc: rob~ %diouc~. Kuestow et Koechly 1. 1. p. 242 Agrianas acontistas fuisse dixerunt. Quam sententiam Hans Droysen p. 20 frustra infringere conatus eos sagittarios fuisse ex Pol. VIII, 79, 6: „'Aypuvec ai Uipoai, rot-ozai xdi o-fzvdovrjTai dtoyhoi” concludere vult. Quem enim iam

Krueger in dubium vocavit Arriani locum I, 14, 1: „rob~ 'Ayptuvuc TOU- dxovTi-Tu-”, particulam „xui” ante „dxovtord~” inserendam ratus, is non solus est locus. Nam III, 13, 5 scriptum habemus: „TU pkv ydp subb- co- -pooscipsro (sc. TU up/taru rd dps-avrif6pa) XUTTJXOVTI OUV o't TS ' Ayptuve- xdt oi tfbv liaMxpcp dxovnoTai”. Semper fere Agrianes una cum sagittariis commemorantur. Sagittariorum vero numerum magno opere auctum esse, et ex Arr. IV, 24, 10, quem locum supra attulimus, et ex Arr. III, 12, 2 conligi potest, ubi oi Maxedove- TO%TUI, mv Bpiocov T)pijv commemorantur aliisque sagittariis opponuntur. Itaque in acontistas idem valere veri simile est, neque improbandum videtur, quod Ruestow p. 252 nomen Agrianum postremo ut appellativum usurpatum esse conicit, quanquam ipsoram Agrianum agmen maneret. Hoc factum esse ex loco illo IV, 25, 6 apparet, quem Abicht Kruegerum secutus iniuria in „xai rob- tpdouc” mutavit. Neque enim intellego, quid <pdoi sibi velint, quasi peculiare militum genus fuerint a sagittariis et Agrianibus diversum, neque, quantum memini, Arrianus ullo alio loco pdob; ut propriae armaturae milites commemorat. Qua re hoc quidem loco nihil mutandum est; non magis alio loco IV, 30, 5—6, ubi scriptum habemus: „Niapyov TS xdt 'AVTIO-/OV TOU- ydtopyou-TCOV u-uontOCov ixni/met • xui |sdp%a> phv rob- 'Ayptdvac -ob-tpdobc idcoxsv, 'AvTtoyco de rijv TS auTou yt/ltapyiav xai duo £-i TUUTJJ uUac”. Gronovius proposuit: TOUC 'Ayptava- xai TOUZ </'dou~, quam coniecturam Abicht recepit. Ne hic quidem quicquam mutandum est. Agrianas enim propterea tpdob- dictos esse censeo, quod Nearchus, qui hypaspistis ante praeesset, tum non suis, sed levis armaturae militibus praepositus est. Quod quo planius verbis efferret, Arrianus attributum apposuit. Per se quoque coniectura Gronovii parum probabilis est. Vdobs enim omnes levis armaturae milites, sagittarios, acontistas, funditores intellegi necesse est. Itaque, si locum mutaremus Alexander ipse sine his militibus profectus esset; quod nunquam factum est.

## IX.

Obsidionem Massagorum urbis Curtius quoque VIII, 10, 22—36 diligenter describit, sed fontem deteriorem sequi non desinit. Omnia enim, quae tradit, ab Arriano plane diversa sunt. Velut locum, quo sita fuerint Massaga, admodum obscure significat, cum Alexandrum Acadiris sive Arigaeo captis Choaspem flumen transiisse faciat. Sane Schuffert p. 12 illud Curtii defendere studet et viam modo dextra, modo laeva fluminis ripa duxisse conicit; sed Alexander montes iam superaverat multaue milia passuum a Choaspe sive Choe flumine aberat. Qua re Curtius hoc loco neque Ptolemaeo, neque Aristobulo, sed auctore usus est locorum imperitissimo et negligentissimo. Cetera quoque ab Arriano discrepant. Qui cum hanc obsidionem dilucide enarret, Curtii narratio ea est, quae ad quamlibet obsidionem quadret atque cum Diodori et Justinii congruat. Ante omnia enim, Assaceni matrem, quam sicut Justinus XII, 7, 9 Cleophida appellat, Assaceno mortuo Massagis regnantem facit. Hoc inventum esse puto, postquam amorem Alexandro cum regina fuisse fictum esset atque haec quidem narratiuncula prae ceteris divulgaretur. Nam quod non rex, sed regina in urbe inventa est, eius rei causa erat adferenda. Urbis situm moeniumque speciem etsi diligenter describit, tamen auctorem eius locum aut non vidisse omnino, aut temere scribendo adumbrasse vel inde efficitur, quod item ut in Aorno arce (Curt. VIII, 11, 6 sq.) altis rupibus et voraginibus aditum urbis impeditum esse dicit, quae Alexandro superandae et explendae essent. Novem diebus aggere exstruendo turribusque erigendis consumptis Indos novitate machinarum perterritos primo impetu facto arma posuisse. Regnam una cum filio parvulo victori obviam factam ab Alexandro mulieris pulchritudine permoto pacem commodam facile impetrasse, filioque postea ex ea nato nomen Alexandro fuisse. Indorum milites trucidatos esse Curtius non commemorat. Justinus XII, 7, 9—11, eandem exhibet rela-

tionem, sed rhetorice ornatam et additamentis non probabilibus auctam; nam quem Curtius leviter significat, Alexandri et reginae amorem, eum Justinus missis ambagibus profert et primo loco posuit. Itaque dubito, num Justinus vel potius Trogius eundem quem Curtius librum exscripserit. Sane fons ei fuit simillimus et eiusdem paene generis, sed multi huius generis libri exstitisse videntur. Adnotaverim — id quod etiam ex hoc loco efficitur — omnes huius generis libros simillimos fuisse. Nam quotienscumque Diodorus, Curtius, Justinus aliquid mirum et incredibile memorant, id una et consentiente voce faciunt, neque unquam, si leviora omittimus, de re ipsa differunt. Sequitur, fuisse quondam scriptorem Alexandri Magni, qui ut plurimas fabulas proferret et res bellicas neglegenter interdum enarraret, ita apud omnes, qui postea in eadem re versarentur, summa esset auctoritate. Hunc scriptorem Clitarchum fere ducunt, neque desunt argumenta, quibus haec sententia comprobetur. — Diodorus, hoc loco narrare incipit et c. 84 Indorum militum interitum diligentissime describit, sed eos rupto foedere fugam petere voluisse et ab Alexandro prohibitos esse non tradit neque studium suum Indorum celare conatur. Hoc studium Diodori ipsius esset potest, sed fortasse fonti tribuendum est, praesertim cum Plutarchus, qui dubie neque ullo nomine adlato Indorum interitum commemorat, vel acius de Alexandro iudicet (v. Alex. 59: „*xai zouzo Toic Tiohptxoic Ipyote aurou rd dUa vopipwi-xai fiam/lixwc noiXsprjoavvoc wenep xrxjYic npooso-riv*^), tanquam aerba haec opinio pervulgata fuerit. Etiam Polyaeus IV, 3, 20 rem sic commemorat, quasi non Indi, sed Alexander foedus ruperit. Itaque hoc dandum erit communi auctori, quem Clitarchum appellare liceat. Quo modo autem aut quando singulae discrepantiae ortae sint, si res gestas spectamus, inutile est anquirere, quia narrationes illae omnes nullius sunt momenti. — Diodorus hoc loco a fonte primigenio propius abesse videtur, Curtium et Justinum in fabulis proferendis longius progressos esse apparet. — Fraenkel

p. 143 Diodorum et Plutarchum de Indorum militum interitu congruere ostendit atque hunc scriptorum consensum ita explicat, ut apud utrumque Onesicritum subesse censeat, quem Plutarchus quidem ipse, Diodorus per Clitarchum, ut ita dicam, exscripserit. Uterque profecto ab Arriano discrepat, sed quae Fraenkel de Onesicrito proposuit, conclusione effecit audacissima (cf. append. XV). Quae narrant, optime ad Clitarchum ipsum revocari possunt, quem Fraenkel iniuria scriptorem fuisse opinatur, qui paene omnia ex scriptis fontibus hausissent. De Aristobulo eundem errorem committit. Nam cum aetas scriptorum in ea, quae describebant, tempora incideret, recordatio et memoria rerum nondum evanuerat.

## X.

Curtius de hac re tacet et VIII, 11, 1 narrat Massagis urbe capta Polysperchontem ad oppidum Noram missum esse, qui „inconditos oppidanos proelio vicit: intra munimenta compulsos secutus urbem in dicionem redegit". Quod cum iis fere concinit, quae Arrianus IV, 27, 6 de Oris memorat Deinde Curtius VIII, 11, 2 incolas eius regionis desertis oppidis in Aornum montem confugisse dicit. Idem Arrianus IV, 28, 1 post Oras oppidum captum factum esse tradit. Qua re eandem intellegendam esse rem et Noram Ora esse existimo. In eandem sententiam Schuffert p. 14 scripsit. Curtium haec ex fonte hausisse plane diverso inde cognoscitur, quod Polysperchontem ad illam urbem missum esse dicit. Contra Ptolemaeus et Aristobulus de omnibus his rebus consensisse videntur. Omnino animadvertendum est, Arrianum, qui in praefatione operis se ea prolaturum promittat, de quibus Ptolemaeus et Aristobulus congruant, rarissime scriptorum dissensum notare. Atqui, cum omnibus Alexandri bellis interfuissent, si utrumque suo iudicio et arbitrato res gestas enarrasse statuimus, eos saepius inter se discrepasse veri simile est. Conligi hinc potest, aut Arria-

num scriptores non contulisse semper ea, qua par esset, diligentia, aut mirum inter eos intercessisse consensum. Cum vero per se non sit, quod Arrianum mendacii arguamus, equidem Ptolemaeum et Aristobulum de rebus bellicis mirum quantum congruisse contendam. Atque Aristobulum suspicor, qui multis annis post Ptolemaeum ad scribendum accederet, huius libro quasi fundamento usum esse. Pleraque autem, quae a Ptolemaeo memorata essent, cum ipse ut Alexandri comes confirmare posset, res bellicas eodem fere modo enarrasse et ipse praecipue in rebus geographicis versatus esse videtur.

## XI.

Arr. IV, 28, 1—3 montem describit, sed non eodem quo supra auctore (quem Ptolemaeum esse credibile est) utitur. Incipit enim a verbis „*Myo-xa-e/et-* et „*Xiyouat-* omniaque, quae exhibet, infinite refert. Quae de hac arce erat fama, Herculem eam frustra oppugnasse (Diod. XVII, 85, 2; Curt. VIII, 11, 2; Just. XII, 7, 12) hanc non omittit, sed admodum dubitanter de ea iudicat. Ptolemaeum hoc loco exscriptum non esse inde efficitur, quod idem Arrianus IV, 28, 4 hac potissime de Hercule fabula Alexandrum ad montem oppugnandum incitatum esse dicit. Quam famam post Alexandri aetatem ortam esse, nemo est qui neget, neque Ptolemaeo, qua fuit prudentia, tantam credulitatem tribuere possumus. Atque cum apud Diodorum XVII, 85, 2 et Iustinum XII, 7, 13 eadem eausa adferatur, apud Arrianum eundem auctorem substituere possumus. Qui fabulam illam iam ut famam tradidisse videtur (cf. „*Xiyerat-* apud Diodorum 1. 1. et „fama vulgaverat" apud Curtium VIII, 11, 2) Itaque quae Arrianus de montis «ircuitu et altitudine verbo „*Xiyouatj-* usus refert, ea, quanquam cum Diodoro discrepant, tamen neque a Ptolemaeo neque ab Aristobulo petita sunt, sed ab alio deterioris notae scriptore. Qui utrum idem fuerit, ex quo Diodorus hauriret, an alius. difficile est dictu. De numeris

quod differunt (Arrianus enim montem ducenta stadia = 37 kilometra circuitu patuisse et undecim stadia altum fuisse dicit, Diodorus XVII, 85, 3 alios numeros, centum stadia et sedecim, exhibet), non est premendum, nam in numeris tradendis veterum scriptorum auctoritatem minimam esse inter omnes constat. Sane Rani-gat montis modi ad illos numeros non quadrant (Cunningham p. 58 sq.), — velut cacumen eius non plus duo kilometra circuitu patet et non amplius mille pedes altum est —, sed iniuria Lassen II p. 149 adn. 1 Arrianum rem in falsum auxisse arguit. Diodorus XVII, 85, 3 et Curtius VIII, 11, 7 montem altera ex parte Indo flumine, altera voraginibus tutum fuisse memorant. Quod non cadit in Rani-gat, neque ab Arriano commemoratur. Arrianum autem haec, quanquam de monte narrata inveniret, silentio praeteriisse existimo, quia ab iis, quae boni auctores de oppugnatione perhibent, plane abhorrent. Quae Cunningham de Rani-gat refert, iis, quae ex Arriano de Aorno monte colligere possumus, optime respondent. Vertex montis valle in duas est divisa partes; in altera (meridiana) reliquiae arcis inveniuntur viaque in hanc partem ducit. Praeterea calles duos Cunningham commemorat. Quod silvae et agri immensi in ipso monte esse narrabantur (Arr. IV, 28, 3), uberior dictum est. Eadem fabula de monte Saxonico, qui Königsstein vocatur, pervulgata est. Oppugnationem arcis Arrianus IV, 29—30, 4 plane et dilucide describit Ptolemaeo, quantum iudicare nobis licet, auctore usus. Primum enim tota eius narratio ad rationem bellicam est redacta, deinde quae a Ptolemaeo ipso gesta sunt diligentissime enarrantur, denique rursus ea invenitur formula, quae Ptolemaei videatur esse, Arr. IV, 29, 3: „*xai yiverai aurojv re xdi vvv Maxedovojv pdyrj xapred*” (sequuntur duo genetivi absoluti: *TOJV pkv — Tlxolepai.01*) de) et Arr. IV, 29, 6: „*&veiar)xei xaprepa pdyr, roic re Ivddic xai rdic Maxedoatv, rdiv pev — rwv de*”. (Arr. IV, 17, 2).

## XII.

Cum Arriano, qui facile et perspicue omnia memorat, Diodori XVII, 85, 4-86, 1 et Curtii VIII, 11, 3-25 relationes prorsus discrepant. Nam et locum et oppugnationem tam obscure describunt, ut rursus appareat, quam parvi auctoritas eorum facienda sit, nisi Arrianum conferre possimus. Ea, quae exhibent, ad auctorem referenda sunt communem, qui neque loci neque rei rationem animo conceperit, sed suo arbitrato cogitatione finxerit. Sed eos hoc auctore ipsos usos esse, vix potest adfirmari. Uterque Indum quendam, locorum peritum, cum duobus filiis Alexandrum adiisse et viam se monstraturum promississe perhibet. Quibus de hominibus nonnulla ita referunt, ut alter alterum compleat. Sed hi duces ad rupem expugnandam nihil valent. Rupem scriptores undique proclivem et ab altera parte Indo flumine, ab altera altis voraginibus tutam fuisse dicunt. Curtium si sequimur, haec perspicua sunt: primum manus electa Mylleo, non Ptolemaeo, duce cum locorum peritis emittitur, ut collem quantum occupet. Quae manus quasi evanescit neque amplius commemoratur. Deinde aggeris alicuius mentio fit, quo vallis aliqua superetur. Haec admodum obscura sunt. Praeterea Curtius voragines sub radice montis fuisse et septem diebus a Macedonibus expletas esse narrat. Quem errorem — nam iis, quae ab Arriano traduntur, aperte repugnant — auctori vitio dederim, cuius iam tot invenimus, ut hic quoque ei adscribi possit. Tum sagittarii et Agrianes impetum faciunt, quo in certamine duo adulescentes, Charus et Alexander, praeclara morte confodiuntur. Plut. Alex. 58 eadem exstat narratiuncula. Curtius non animadvertit, in tanta, quam praedicat, montis altitudine impetum a sagittariis susceptum omni ratione carere. Quod si quis haec cum Arriani narratione connectere velit, de primo impetu ab Alexandro facto cogitare possit; sed obstat, quod Curtius deinde narrat, Alexandrum sagittariis repulsis speciem in obsidione perseverantis osten-

disse atque turre admovisse, Indos autem victoria laetos per biduum epulatos esse. Quae ab Arriano plane abhorrent. Denique Indi arce deserta clam profugere conantur. Alexander a Balacro praemisso fugisse Indos certior factus fugientibus metum incutit, et loco capto Sisocostum praeficit. Apparet, omnia, quae Curtius praebeat, tam prava et obscura esse, ut ea quoque, quae per se probabilia videantur, velut Mylleeae et Balacri nomina, pro nihilo habenda sint. — Quae Diodorus memorat, non minus prava sunt. Locorum enim periti quam pollicentur (XVII, 85, 5) „~Totraetv adrbv u-ep3£\$mv yeveoiaat rcov fiaftdpwv”, Alexander aditu occupato et voraginibus expletis montem a radice oppugnare aggeremque aedificare incipit. Quo perfecto septem diebus, Indi animis deficient; Alexander id quasi praesagit et milites e via concedere iubet; postquam hostes tuti a loco discesserunt, arcem occupat. — Itaque utrumque scriptorem hoc loco mittamus necesse est. Ceterum hinc conligere possumus, Curtium, quae in fonte invenisset, religiosius servasse, quam Diodorum, qui legentium animos permovendi studiosus argumentum modo in artius contraxisse modo latius explicasse videtur. Idem apud utrumque cernitur color, qui communi alicui fonti attribui possit; sed alter ab altero adeo discrepat, ut eundem eos librum exscripsisse nemo sanus contendat. Fraenkel p. 148 narratiunculam de morte Alexandri adulescentuli rursus ad Onesicritum, quo Clitarchus usus sit, revocare vult, sed infirmiore fundamento nititur.

### XIII.

Droysen p. 121 haec ab Arriano narrata cum iis connectit, quae a Diodoro et Curtio post Aornum captum facta esse traduntur. Atque Curtius quidem VIII, 12, 1—3 Alexandrum Aorno Ecbolima processisse et angustias itineris ab Ericae (nominativus Ericae est, non Eryx, ut Droysen p. 120 adn. 3 et Lassen II p. 149 adn. 2 scribunt; accusativus

enim a Curtio § 3 „Ericae” scribitur) quodam viginti milibus armatorum obsessos invenisse. Alexandrum gravius agmen Coeno ducendum tradidisse, ipsum cum leviter armatis vim per angustias fecisse. Quo facto Indos Ericae interfecto caput abscisum sponte ad Alexandrum detulisse. — Diodorus XVII, 86, 2 idem narrat, sed quae fere in eius libro cernitur scribendi ratio, ea hoc quoque loco apparet. Num eundem atque Curtius Hbrum exscripserit, me dubitare iam dixi; certe omnibus fere scriptoribus, qui Curtio praesto erant, etiam Diodoro uti licuit. Sed cum Curtius ipsas res gestas diligentius enarrare et semper quasi conectere studeat — sane sententiarum ratio plerumque falsas est, quia iam in fonte confusa erat, sed est tamen aliqua ratio —, Diodorus operam dat, non ut uno tenore res gestas memoret, sed ut singulas res memorabiles ex orationis contextu sublatas proferat. Qua re singula non curat neque sententiarum rationem respicit. Ut ad rem redeam, eadem quae Curtius commemorat, sed ita, ut cum cetera narratione minime cohaereant, neque enim Alexandri itineris, neque Embolimorum vel Ecbolimorum urbis mentionem facit. Ducem Indorum Aphricem appellat et Alexandrum Indos sibi conciliasse, („~Tpnarjdyezo”) narrat. — Cum elephantos quindecim in Aphricis exercitu fuisse dicat, eandem apud Curtium et Diodorum intellegendam esse rem veri simile est, quam Arrianus IV, 30, 5—7, memorat, sed neque Ecbolima, neque angustiae ad ea, quae hic praebet, ullo modo quadrant, — Embolimis enim rex ad Aornum montem profectus erat, et a Cratero locus tenebatur —, neque cetera, quae apud Diodorum et Curtium exstant, magis cum Arriano congruunt. Itaque solum Arrianum sequar. Qui utrum ex Ptolemaeo haec, an ex Aristobulo petierit, diiudicari non potest. Nam etiam si ex eius verbis IV, 30, 5: „dpa- S'£x r^c rrepa- £-TT)V 'Aaaaxrjvwv ywpav ip^d//let, conligit possit, eum fontem mutasse, atque si ante Ptolemaeo usus esset, Aristobulum iam adhibuisse, tamen hoc non est premendum. Ceterum vel hic locus docet, primigenium illum Diodori et Curtii fontem, cuius

vestigia saepius inveniamus, ab iis, quae ab Arriano tradantur, prorsus diversum fuisse.

Huc ea referam, quae apud Polyaeum IV, 3, 21 tradita habemus. Pittacum quendam, Pori nepotem, loco aliquo angustias occupavisse, ut Alexandrum transitu prohiberet, sed Alexandrum scienter equitatu usum barbaros fugasse et loco excedere coegisse. Res est simillima, neque inter nomina tantum discrepat, ut coniectura mea omni probabilitate privetur. Itaque suspicor, hoc Polyaei eidem auctori tribuendum esse, qui etiam Diodori et Curtii communis erat fons. Doleo quod Melberi liber nuper editus mihi non ad manus fuit. Utcumque res se habet, Droysen arti criticae repugnavit, cum p. 126 Polyaei narratiunculam fontium nulla habita ratione in textum, qui dicitur, recepit et Pori nepotem inter Pori regnum et Taxilis regnasse et fuis copiiis cum reliquiis exercitus ad patrum vel avunculum fugisse finxit.

## XIV.

Arr. V, 8, 2 traditum habemus: „*xai £devero auTov Tat-iXrjc 6 unapyot T9JC noXecuc xai auroi o't rfjde 'Ivdoi cpdioje. xai 'AXefcvdpoc npoori&rjotv auroic ycbpav Trc bpopou dorjc iSiovTo*". Droysen p. 124 et Lassen p. 153 hos Indos („ot *TffSe 'IvSoi'*") „Fiirsten des Landes" vel „Fursten des benachbarten Landes" accipiunt, qui Taxila convenissent, ut Alexandrum venerantes regem salutarent. Sed nullam video causam, cur Arrianum ita interpretemur. Verba eius si premimus, extricari licet, Alexandrum non Taxili, sed „a<3ro7c" regnum auxisse, ita ut de principibus Taxilis imperio subiectis cogitari possit. Quod vereor ne subtilius quam verius sit. *Oi rfjde 'Ivdoi* Taxilis populares sunt, atque quod Arrianus iis (non Taxili) imperium auctum esse dicit, eum propterea dixisse iudico, quod paulo ante non regem solum commemoravit. Strabo quoque XV, 1, 28 p. 698 dicit: „£d£savTO re dr) cptXavirpdmwc TOV 'AX£savdpov ot dviHpcnot xai b j9aodeuc auTcbv TaSiXrjc- Ixuyov TS nXetbvww i) auxoi napeoyov etc",

ubi Aristobulum sequi videtur. cf. A. Vogel „De fontibus, quibus Strabo in libro quinto decimo conscribendo usus sit". Diss. Gottingae 1874 p. 21.

## XV.

Quem auctorem Arrianus libro V sequatur, ubi missis rebus geographicis Alexandri res enarrare pergit, parum constat. Per se nihil obstat, quin hoc quoque loco (V, 8, 1—3) Ptolemaeum latere statuamus, quia loco leviter tantum significantur: Abisares enim Indorum montanorum rex, Taxila opulentissima urbs omnium, quae inter Indum et Hydaspem fuerint, dicitur; plura de iis Arrianus memoriae non prodit. Sed cum multus sit in sacrificiis legationibusque commemorandis, etiam de Aristobulo cogitare licet. Atque Fraenkeli quidem p. 143 et 280 Arrianum V, 8, 1—3 ab Aristobulo petiisse arbitratur. Concedo, hoc verisimile esse, quanquam quae profert argumenta ad sententiam probandam, non omnia firma sunt. Magnam enim partem congruentia nititur, quae inter Arrianum et Curtium VIII, 12, 5 sq. intercedat. Omnes autem locos, ubi consentiunt, Aristobulo attribuit. Sane cernitur aliqua similitudo, sed non est manifesta. Arrianus enim breviter, quid factum sit, memorat, Curtius plurima praebet, quae in ornamentum operis accedant. Non omittam, Fraenkelium in hac re vehementer falsum esse. Dicit enim Arrianum V, 8, 4 fonte mutato inde ab hac paragrapho Ptolemaeo usum esse, id quod non negaverim, sed fontem mutatum esse inde efficere vult, quod scriptor, etsi § 2 Alexandrum Taxila venisse narraverit, § 5 idem commemoret. Quare ea, quae praecedunt, ex Aristobulo hausta esse adfirmat. Sed hoc argumentum nullum est. Arriani verba haec sunt § 5: „*auT<K de* (sc. Alexander) *dvaXajScov r)v re duvaptv e-(wv ffxev ez Td^da ... fjet wc ini rbv 'Tddonrv norapov*", neque ullo modo quod supra dixerat repetit. Quare Fraenkelium suspicor, verba, quae sunt „*r)xev £c Td\$da*", temere legentem ad enuntiatum relativum pertinere non intellexisse.

Nihilo minus Aristobulum subesse cum Fraenkelio consentio. Sed Fraenkel ultro progressus, quae apud Plut. Alex. 59, Strab. XV, 1, 28 p. 698, Gurt. VIII, 12, 5 sq., Diod. XVII, 86, 5 sq. de Taxilis urbe tradita habemus, iis ad sententiam suam firmandam utitur, qua inter historicos Alexandri Magni omnium, quae primis annis facta essent, potissimum scriptorem Callisthenem, ceterarum rerum Onesicritum fuisse iudicat. Onesicritum autem, qui et a Clitarcho et ab Aristobulo exscriptus sit, cum Diodoro Curtioque, tum Arriano subesse putat. Atque hoc quidem loco gravissimum argumentum inde petit, quod, postquam quattuor illi scriptores similiter memoraverunt, quae Alexander Taxilis gessisset, Strabo eadem paragrapho serpentium duarum eximiae magnitudinis mentionem facit, quae in Abisaris regione fuerint, atque Onesicritum huius rei testem laudat. Hinc omnia, quae apud Strabonem ceterosque scriptores exstant, ex Onesicrito sumpta esse ita efficit, ut Strabonem et Plutarchum ipsos librum eius evolvisse, Diodorum et Curtium per Clitarcho, Arrianum per Aristobulum eo usos esse opinetur. Haec conclusio prorsus incerta est. Quod si Strabo Onesicritum testem laudat, auctoritas eius ad eam ipsam rem pertinet, cuius auctor laudatur. Quod fere valet in scriptores antiquos, neque ex eius modi locis de iis, quae praecedunt aut sequuntur, quicquam conligi potest. — Immo veri dissimile est, scriptores omnes hoc loco ad eundem auctorem revocandos esse. Primum enim oifendor, quod Strabo et Plutarchus sicut. Arrianus, gentis principem semper Taxilem appellant, cum Diodorus et Curtius ei initio Mophi vel Omphi nomen fuisse et postea, cum Alexander Taxila venisset, alterum nomen impositum esse referant. Tales discrepantiae multo maioris sunt momenti, quam eae, quae ad rem ipsam pertineant. Vel hac ex re conligam, apud scriptores, qui nobis praesto sint, duas eiusdem rei latere relationes. Accedit, quod Curtius aliqua exhibet, quae apud Diodorum desiderantur, quae per se probabilia sint. Velut VIII, 12, 6. sq. Hephaestionem a Taxile frumento benigne adiutum esse, reges

(Taxilem et Alexandrum) largiter inter se donasse, Taxili cum Poro et Abisare inimicitias intercessisse memorat, inprimis Alexandrum mille talentis Taxili donatis invidiam Macedonum excitasse tradit. Atque Meleagrum super caenam Alexandro gratulatum esse narrat, „quod saltem in India repperisset dignum talentis mille/' Narratiuncula ea est, quae vix iicta esse possit. Quae omnia, quamvis minus diligentius narrata, etiam apud Plutarchum et Strabonem inveniuntur, cum apud Diodorum plane desint. Iam vero. etiam si hunc suo arbitrio fontibus usum esse concedamus, id casu factum esse non credam. Contra Diodorus et Curtius consentiunt, Taxilem cum armato exercitu obviam egressum esse, et Alexandrum hostem adventare ratum milites arma capere iussisse. Diodorus adicit, quadraginta stadiis ab urbe Taxilem Alexandrum convenisse, sed cum Arrianus de hac re taceat, neque Diodoro soli fidem habere possimus, hoc missum faciamus. Ceterum conligi inde potest, in illis libris, qui Diodoro et Curtio praesto essent, satis multa de temporibus et intervallis itinerum notata fuisse. Aliquot huius generis locos infra inveniemus. Apud Arrianum eius modi notae rariores sunt, quod utrum ipsi an auctoribus eius attribuendum sit, diiudicare non audeo. Illa autem, quae de Alexandri adventu memorant, non sunt probabilia. Nam cum septingentos Taxilis equites secum duceret (Arr. V, 3, 5—6) et eo iam dudum familiarissime uteretur, impetum hostilem metuere non potuit. Praeterea Diodorus et Curtius consentiunt, Taxilem et Alexandrum iam pridem de foedere inter se egisse et illi initio nomen Mophi vel Omphi fuisse.

Equidem facere non possum, quin coniciam, apud Diodorum unam huius rei relationem exstare, cuius auctorem plane significare nequeamus, Plutarchum et Strabonem alteram relationem praebere, quae apud Curtium cum illa in unum coniuncta sit. Quod utrum ipse an alius scriptor fecerit, parum liquet. Alter, qui requiritur, auctor Aristobulus fuisse videtur, qui et ipse Taxilis fuisset (Strab. XV, 1, 61 p. 714) et sine dubio, quae ibi facta essent, diligentius perscripsisset.

Itaque ea, quae a Strabone et Plutarcho adferuntur, apud Curtium vero desiderantur, ad Aristobulum referenda esse censeo. Qua re Droysen rectius mihi videtur facturus fuisse, si non illam de Alexandri adventu narrationem, sed Meleagri salse dictum in textum, qui dicitur, recepisset. Quod contra hoc brevissima adnotatione commemoravit (p. 124 adn. 1), illam splendidissime depinxit (p. 123).

## XVI.

Arrianus hoc loco V, 9 sq. Ptolemaeum secutus esse videtur. Nam Aristobulum V, 14, 3 ita laudat, ut ea, quae praecedunt, ex alio fonte hausta esse veri simillimum sit. („*ΑπόρσιθουΑο- Sk kiyec rov Ucopou nacSa cpttdaac..* .” et § 4: „*διὰ τὸ Ἰπποκράτη- 6 Αδίου, δρεπ xai λυβ τ-υπεπεποπας, διὰ τὴν α>Μυεσ*”). Sane Ptolemaeus, qui ipse proelio interfuisset, omnia optime cognita habere potuit. Cum iis paene consentit, quae Plutarchus epistula Alexandri adlata praebet. Discrepat de militum numero, quos Pori filius secum duxerit, cum apud Plutarchum mille ei fuisse equites et sexaginta currus traditum sit. Quae discrepantia missa facienda est neque discernere audeo, utri auctori plus fidei habeamus. Quanquam ea, quae Alexander scripsit, non iisdem verbis a Plutarcho repetuntur. Alexander enim, Plutarchum si sequimur, se ipsum *xard fldrepov xipa-* impetum fecisse Coenum *rcS Se^cw npoo-flaXeh* scripsit. Dubium autem cum sit, quo referendum sit „*rcp Segccp-* ad Indorum an Macedonum dextrum cornu — accipiendum sane est de Macedonibus, sed quicumque locum legit, in contrarium verba interpretabitur —, Alexandrum tam ambigue scripsisse non credo.

Arrianus, antequam Ptolemaeum secutus proelium illud equestre describit, V, 14, 3—4 diversas commemorat narrationes. Aristobulus enim Pori filium tempore advenisse et hostem modo transgressum facile opprimere potuisse rettulit, sed proelium eum detrectantem ab hippotoxotis primo impetu in fugam compulsus esse. Quae relatio facile exsistere potuit.

Proelium enim cum levissimum esset, fieri potuit, ut etiam levius haberetur, quam fuit. Deinde, cum facile fieri potuisset, ut Indi tempore advenirent, fama oriri potuit, eos tempore advenisse. Utcumque res se habet, quod Aristobulus memorat, si numerum mittimus, nihil aliud est quam opinio militis, qui ab alio militis sententia differat. Aristobulum hoc loco, quae ipse meminisse sibi videretur, a Ptolemaeo dissidentem proferre existimo. Droysen p. 134 recte ei obicit, postquam Pori exploratores Macedonibus conspectis in castra profecti essent, quattuor horis opus fuisse, dum manus aliqua equitum ad Iocum, quo Alexander transgressus esset, pervenire posset. — Deinde Arrianus verbis „*νὶ 3ε.. λιyouocv-* alteram opinionem commemorat: Indum cum maioribus copiis advenisse et proelium commissum esse atrocissimum, in quo Alexander a Pori filio vulneratus equisque eius Bucephalus vulneratus esset. Hoc vulgo traditum fuisse videtur, praesertim cum Curtius VIII, 14, 2—9 eandem relationem praebet. Accurate enim proelium equestre prope Pori castra exortum describit, cui Indorum centum currus et quattuor milia equitum Hage duce, Pori fratre, interfuisset; Bucephalam in hoc proelio interfectum esse non enuntiat. Quod Alexandri vulneris mentionem non facit et Pori fratrem, non filium, Indis praefuisse perhibet. inde factum est, quod permulti fuerunt scriptores, qui Alexandri res eodem fere modo et uno colore enarrant, verum tamen non plane congruerent. Diodorus XVII, 88, 1 de hoc proelio breviter adnotat: „*ρο pkv npcovov rok mneuocv dnavra ogeSov rd uppara TCOV 'Jvdcbv Stetpdp-*”.

Ex hoc scriptorum dissensu conligere non dubito, Arrianum non paucos libros perlegisse et excerpisse, ante quam suum librum conscribere inciperet. Curtius autem deteriorem fontem sequitur. Flumen enim et locum postquam descripsit VIII, 13, 8—1J, proelia commemorat levia in insulis fluminis exorta et duorum iuvenum, Symmachi et Nicanoris, mortem praeclarissimam enarrat. De loco, quo transierit Alexander, cum Arriano ferme congruit, nisi quod in militum decursionibus

bus hostis fallendi causa institutis primas partes Ptolemaeum agere facit. At, si ita fuisset, Arrianus, qui hoc loco Ptolemaeum sequitur, id non omisisset. Ubi cumque enim Ptolemaeus fortitudine vel alia virtute praestaret, — quantum de libro eius iudicari licet — nunquam sibi videtur defuisse. Contra eius modi Ptolemaei laudatio Clitarcho optime tribui potest, quem Ptolemaeo regi blanditum esse ex loco notissimo (Arr. VI, 11, 8 et Curt. IX, 5, 21) satis apparet. Non magis verum est, quod Curtius VIII, 13, 21 Attalum, hominem habitu corporis simillimum regis, veste regia exornatum in castris relictum esse refert, ut hostes regem coram esse crederent. Atqui Attalus, dum Alexander flumen transit, una cum Gorgia et Meleagro non in castris sed in alio loco conlocatus erat (Arr. V, 12, 1). Qua re haec Curtii omittenda sunt.

## XVII.

Lassen II, p. 160 adn. 1 Arriani verba ita interpretatur, quasi primo impetu octoginta pedites ceciderint. Itaque cogitandum esset, postea plures aut alios saltem praeter hos interfectos esse. Sed dubito, num eius modi numerus memoriae prodi potuerit. Numerus certe de omnibus accipiendus est, qui ex illis sex milibus peditum interfecti sint. De reliquis nihil traditur, quia Craterus et ceteri flumen eo tempore traiecerunt, cum Indi de omnibus desperantes fuga iam salutem petebant. Itaque ex his copiis paucissimos cecidisse veri simile est. — Diodorus XVII, 89, 1. 2 Indorum plus duodecim milia caesa, novem milia et octoginta elephantos capta esse dicit; Macedonum ducentos octoginta equites, plus septingentos pedites interfectos esse refert. Koehly et Restow 1. 1. p. 304 Ptolemaeum ambitiose minores numeros proferre rati eos, quos apud Diodorum traditos habemus, receperunt. Sed mihi quidem ii numeri, quos Diodorus exhibet, maiores esse videntur. Nam cum apud omnes veteres scriptores eius modi numeri non ad vulneratos, sed tantum ad caesos pertineant, caesorum autem numerus septimam vel octa-

vam vulneratorum partem vulgo expleat, si Diodorum sequamur, septem milia Macedonum vulnerata esse statuendum sit et ex Alexandri exercitu octo milia vel duas partes prostratas esse. Quod ab omni probabilitate abhorret. Talis enim victoria clades fuisset, qua exercitus impotens belli gerendi fieret. Probabiliora ea sunt, quae Droysen p. 141 adn. 1 disserit. Quod si plus trecentos interfectos esse ponimus, vulneratorumque quod satis est adnumeramus, numerum efficitur satis magnum. Indorum numerus certe auctus est, etiam si antiquis temporibus apud victas partes plures quam pro copiarum numero caesos esse concedamus. Indi enim acerrime pugnaverant neque undique cincti erant, sed in unam partem receptum habebant. Ceterum non licet Arriani et Diodori relationes in unam conectere.

## XVIII.

Droysen p. 130 adn. 1 in Arriani textu V, 11, 4 post verba „vj de dkkff ATPANA suTiopoc“ maiorem lacunam statuit, in qua expositum fuisse putat, quid cum ceteris TATJON factum esset, quas interfuisse contendit, velut legionibus Philotae, Balacri et praecipue Gorgiae, Attali, Meleagri. Sed cum Arr. V, 11, 3 copiae Cratero permissae diligenter enumerentur et sequenti paragrapho expositum sit, quid Alexander ei mandaverit, c. 12 autem ab his verbis incipiat: „TauTa psv KpaTspiv SVSTXXSTO. iv pscw Se . . . Melsayoc TE xai "ATTUXOC xai Fopyia; . . . kTSTayaTo“, valde dubito, num in lacuna illa de Crateri aut aliorum ducum copiis quicquam traditum fuerit. Deinde neglegendum non est, omnino ea, quae Arrianus de copiarum motibus praebeat, ad omnia explicanda nequaquam sufficere. Immo multa arbitrio legentis permissa sunt multaque data est potestas coniciendi. Denique non probandum est, quod Droysen vocabulum ra&c, ubicumque apud Arrianum invenitur, de Macedonum robore, de phalangibus, quae dicuntur, accipit. Vocabulum enim ad cuiuscumque generis copias pertinet. Nequicquam igitur Meleagri,

Attali Gorgiaeque *TUŠSK* desiderat, quas mercennariorum, non Macedonum fuisse ex hoc ipso Arriani loco efficitur.

Iniuria *Lassen* II p. 157 Ptolemaeum illis copiis praepositum esse narrat, quae inter castra et Alexandri agmen conlocatae essent. Arrianus enim Ptolemaeum eo die in regis comitibus fuisse testatur neque alium ducem praeter illos tres nominat. *Lassen* sine dubio ea, quae apud Curtium exstant, cum Arriani narratione coniungere voluit. Curtius enim VIII, 13, 19. 23. 27 Ptolemaeum in dextra fluminis ripa relietum esse refert, quanquam cp. 14, 15, eundem regem comitantem facit. Sed relationes scriptorum plane diversas in unam componere, etsi facillimum est, tamen non licet. Eundem errorem *Droysen* p. 131 committit, quanquam Arrianum secutus sine ulla dubitatione p. 132 Ptolemaeum quendam *OCONUTOCFOLAXA* (Arr. V, 13, 1) una cum rege flumen transiisse memorat. Unde facere non possum quin conligam, *Droysen* duos statuere Ptolemaeos, unum *Lagi* filium, qui in dextra ripa remansisset, alterum *aco/tatocf6?Mxa*, qui regem eo die comitatus esset. Sane ab Arriano duo praeter *Lagiden* Ptolemaei *aco/iriTocpuhixte* commemorantur; sed alter (I, 22, 4), cum *Halicarnassus* urbs obsideretur, occisus est (I, 22, 7), alter, *Seleuci* filius (I, 24, 1 et 29, 4), ad *Issum* interfectus est (II, 10, 7). Praeter hos de solo *Lagide* satellite accepimus, qui et in satellitum indice (Arr. VI, 28, 4, qui *Aristobulum* laudat) et passim apud Arrianum commemoratur. (Velut III, 6,6 simul atque Alexander regnum adeptus est, satellitum numero adscitus esse dicitur; IV, 8, 9; IV, 15, 8).

### XIX.

De hac pugna inter Arrianum et ceteros scriptores valde discrepat. Qui omnes, *Diodorus*, *Curtius*, *Justinus* quodam modo inter se congruunt. Apparet autem, iam in communi fonte, qui statuendus est, hanc pugnam admodum obscure enarratam fuisse, scriptoresque ea traclidisse, quae ipsi non intellexissent.

Atque *Curtius* quidem VIII, 14, 13 elephantos inter milites dispositos speciem turrium fecisse (cf. Curt. VIII, 12, 7) et *Porum*, qui et ipse statura excelsa fuisset, in maxima belua sedisse narrat (VII, 14, 7 et 14, 13). Peditum agmini simulacrum *Herculis* praefertur (VI, 14, 11). *Alexander* cum *Ptolemaeo*, *Perdicca*, *Hephaestione* in laevum hostium cornu impetum facere statuit, *Antigenem* et *Leonnatum* et *Tauronem* in mediam aciem „invehi” et frontem urgere iubet. Illic aliqua sunt, quae offendant. Primum enim *Hephaestio*, quantum iudicare possumus, huic proelio non interfuit, et, cum *Arrianus* eum neque V, 13, 1, neque alio loco commemoret, non iniuria *Koechly* et *Ruestow* l. 1. p. 299 eum cum valida manu in dextra fluminis ripa relictum esse coniciunt, ut *Abisarem*, qui adventare videretur, prohiberet. Deinde *Curtius* de *Antigenis*, *Leonnati* *Tauronisque* impetu verbo invehendi utitur, quasi ii quoque equitatu praepositi essent. At, si Arrianum respicimus, non nisi de peditum agmine cogitare possumus. Tum dubitari licet, num *Leonnatus* illo die pediti praefuerit, cum *Arrianus* *Seleucum* tertium ducem fuisse, V, 16, 3 testetur. Denique ipse sibi repugnat, qui *Ptolemaeum* in *Alexandri* comitum numero fuisse dicat; nam supra VII, 13, 27 eum in dextra ripa remansisse significavit. — Quae de *Coeno* *Curtius* tradit (VIII, 14, 15 sq.), ambigua sunt. Jubeturenim *Coenus*, ubi regem „in medio ardore certaminis” vidisset, „dextrum movere et turbatis signa inferre”. Jam supra vidimus, hunc sensum requiri: *Coenum* in dextram partem missum esse, ut laevum hostium cornu a latere adoriretur. Huc optime quadrat verbum „turbatis”, quod ad regis impetum referendum sit, neque repugnat, quod *Cvrrtius* infra profert § 17: „Jamque, ut destinatum erat, invaserat (sc. rex) ordines hostium, cum *Coenus* ingentivi in laevum cornu (sc. *Indorum*) invehitur”. Qua re *Koechly* et *Ruestow* l. 1. p. 302 adn. 42 hanc vim apud *Curtium* subiciendam rati verbum movendi intransitive accipiunt et vertunt: „sich rechts ziehen”.

Sed ut movendi verbum sic accipi potest, ita vocem „dextrum" hoc modo intellegi posse nego. Si scriberemus „in dextrani", omnia optime se haberent; sin autem nihil mutamus, „movere" transitive accipiendum, et „dextrum" ad Pori aciem referendum est. Res inde pendet, utrum Curtio errorem vel neglegentiam tam gravem attribuere velimus. Me quidem ab eorum parte stare non nego, qui Curtium impugnant, praesertim cum in iis, quae sequuntur, gravissimus error insit, et § 15 sententiarum ratio postulet, ut „dextrum" ad Indos referamus. Sic enim ea, quae praecipit Alexander, ad totum hostium exercitum, ad laevum et dextrum cornu et mediam aciem, spectant.

Quae sequuntur apud Curtium § 18: „Phalanx quoque mediam Indorum aciem uno impetu perrupit" sensu plane carent. Neque enim iis conveniunt, quae Arrianus memorat, neque iis, quae Curtius ipse infra exhibet. Nam quanquam acies perrupta est, Porus, quasi nihil acciderit, elephantos in Macedonum equites agi iubet. Deinde turbato iam agmine copias conligit et „elephantos ante agmen suorum agi iubet" (VIII, 14, 21). Hoc parum perspicuum est. Tum Curtius VIII, 14, 22 sq., ubi elephantorum pugnam describit, prave dicit „Agrianos et Thracas leviter armatos" postremo, cum Macedonum acies quassata iam esset, in beluas emissos esse. Tandem elephantum repelluntur. Porus undique telis petitus novem vulneribus acceptis deficere iam incipit. Haec Arriano repugnant, qui Porum unum accepisse vulnus in dextro umero aperte dicat et rem ita exponat, ut narrationem eius ab eo perfectam esse appareat, qui ipse illi pugnae interfuisset. (Arr. V, 18, 5: „*TeTpcopÉvoc dk TOV d'Éiov wrov, ?>v dr) yupbv povov e-ycov Év Tfj pdyrj dvecTTpÉ(fÉTO- dnb ydp TOU dXXou ochpaTo- jipxei WJTCS rd i9É/rj 6 Schpat; -epcrTbc cov xard TS rrjv io-(bv xat TT)V dppovlav, c'o- uorepov xaTapaDsiv &ecopÉvotc ^f.*"). Tum rector beluam in fugam vertit. Alexander sequitur, sed equus eius „multisvulneribus confossus deficiensque" con-

cidit. Itaque Taxilis fratrem ad Porum praemittit, sed hic appropinquantem telo interficit. Hoc cum Arriano plane pugnat et eius est, qui Poro fortitudinis laudem vel maximam tribuere studeret. Atque cum fieri non posset, ut Taxiles ipse, qui etiam postea vivus esset, occisus esse diceretur, frater eius fictus est. Pergit Porus fugere, sed cum belua iam deficere coepisset „sistit fugam peditemque sequenti hosti obiecit". (Curt. VIII, 14, 37). Haec quoque sensu carent. Tandem telis undique coniectis lapsus, belua in genua procumbente, ab hostibus capitur. Addit Curtius VIII, 14, 39: „ea res . . . et ceteros victoribus tradidit", quasi rex ne tum quidem a suis destitutus fuerit. Postremo Curtius — id quod prorsus incredibile est — Alexandrum refert Pori corpus spoliari iussisse, et a belua dominum tuente prohibitum confosso elephanto hoste potitum esse.

Sequitur, ea, quae Curtius de proelio praebeat, nulli usui esse, nec non ea, quae de Poro capto memoret, omnia ad animos commovendos instituta esse. Etiam de conloquio Alexandri et Pori Curtius ab Arriano differt et inanes voces fundit.

Diodorus XVII, 87, 4—89, 3 haec multo brevius enarrat: Indorum aciem recte describit et cum muris turribusque comparat. Sed pugnam non minus perverse describit. Ac primum quidem omnes Pori currus deletos esse perhibet; quod certamen prius illud cum Pori filio proelium intellegendum esse videtur. Sequitur elephantorum et Alexandri peditem certamen: Indorum ordines laxari incipiunt. Sed Porus quadraginta beluis coniectis ipse fortissime pugnans inclinatam aciem restituit. Deinde Macedones undique tela in eum coniciunt; postremo Porus multis vulneribus acceptis in terram delapsus a victoribus capitur. De regum conloquio Diodorus tacet.

Apparet, Diodorum de multis rebus cum Curtio congruere (uterque enim speciem illam turrium commemorat, Porum denuo impetu facto proelium restituisse, multa vulnera

accepisse, postremo torpentem iam deprehensum esse memorat) et, ubi cum hoc consentiat, ab Arriano dissentire. Itaque affirmari potest, eos similibus fontibus usos esse, qui ad unum auctorem referi posse videantur. De uno eodemque auctore, quem uterque ipse exscripserit, ob discrepantias non paucas cogitari nequit. (Ceterum adnotaverim, Curtium neglegenter bis memorare, Porum ipsum ingenti corpore in elephanto super ceteros eminenti rectum esse VIII, 13, 7 et 14, 13). In fonte illo communi, qui statueudus est, pugna obscure et prave multis fabulis immixtis narrata iam erat. Quae criticae rationi repugnat, quod Droyse in iis, quae apud Arrianum exstant, nonnulla ex altera relatione sumpta inseruit. Quatenus fide digna sint, non quaerit. Velut p. 140: „Da endlich soll Poros vierzig noch unversehrte Thiere vereinigt haben etc". Sane verbum „soll" addidit, sed tamen narratiunculam in textum, qui dicitur, recepit. Idem valet in p. 142, ubi Bucephalam equum, cum Alexander Porum persequeretur, concidisse et Porum ab elephanto in terram demissum esse perhibet. Cum equus eo ferme tempore mortuus sit, eum in pugna vulneribus confossum esse finxerunt. Sed non licet rem ita narrare, quasi equus in proelio defatigatus conciderit et post proelium mortuus sit. cf. append. XX.

Justinus XII, 8, 1—7 paucissima praebet, sed eandem relationem secutus Porum „multis vulneribus obrutum" captum esse refert. Neque tamen plane cum Diodoro aut Curtio congruit, cum fabulam proferat, quae apud illos non inveniatur: XII, 8, (j „qui victum se adeo doluit, ut, cum veniam ab hoste accepisset, neque cibum sumere voluerit, neque vulnera curari passus sit aegreque sit ab eo obtentum, ut vellet vivere").

Quae apud Plutarchum c. 60 tradita habemus, ex variis fontibus hausta sunt. Primum enim ex epistula Alexandri aliqua adfert, quae cum Arriano paene congruant, deinde ex iis, quae vulgo tradebantur („oi dk jihiozot zcbv ouyypucpiwv bfjo/loyouoi"), pauca praebet (Porum quaterna cubita uno palmo

longitudine excssisse et corporis magnitudine elephanto plane respondisse, elephantum regem non solum defendisse, sed etiam in genua delapsam tela ex vulneribus detraxisse) denique conloquium Alexandri et Pori eodem modo atque Arrianus describit.

## XX.

Fraenkel p. 133 sq. horum omnium Onesicritum auctorem esse contendit. Arrianus enim V, 19, 5 postquam regum conloquio enarrato Alexandrum Poro regnum auxisse et duas urbes condidisse memoravit, adicit, Bucephalam equum triginta annos natum nullis vulneribus confossum sed aetate et laboribus confectum extinctum esse. Haec omnia a Plutarcho cc. 60 et 61 eodem ordine memorantur. Quae Fraenkel ea iam in fonte, quem statuit, communi coniuncta fuisse concludit. Auctorem autem Onesicritum esse conicit, quem Plutarchus de Bucephala laudat c. 61: „b B. ezehuazjoev, oijx zu>%c, dW uozepov, wc oi nleiazoi Aeyouaiv dzb zpaupdzcov tfepaneubpevoc, wc dk '(hrjoixpizoc, diu yr)pac uizipv.ovoc yevhpevor-zpidxova ydp tzwv dnoaaveiv uvzov". Deinde Fraenkel ea, quae Plut. c. 60 praebet, Alexandrum Poro quinque milia urbium dono dedisse, ex eodem Onesicrito hausta esse affirmat. Itaque propter summum Arriani et Plutarchi consensum iam Onesicritum Bucephalae mortem ita enarrasse existimat, ut diversam sententiam reiceret, atque Plutarchum ipso Onesicrito, Arrianum Aristobulo usum esse censet, qui Onesicritum exscripsisset. Fraenkel etiam hoc loco Aristobulum secundarium, ut ita dicam, facit scriptorem neque eum Alexandri comitem fuisse respicit, qui huic bello ipse interfuisset et omnia, quae scriberet, ipse vidisset. Haec sunt, quae Fraenkelio obiciam. Primum non concedo, Plutarchum, si rem quandam ex auctore quodam peteret, omnia, quae cum ea re arte cohaerere videntur, ex eodem auctore sumpsisse. Plutarchum non scribam sed scriptorem fuisse urbanissimum, qui plurima legisset, inter omnes iam constat, neque Fraenkel

eum in hac vita conscribenda plurimos ex aequalibus Alexandri Magni auctores adhibuisse negat. Non ea scribendi ratione usus est, ut ex compluribus libris, qui simul in mensa evoluti iacerent, modo hunc modo illum inspiciens aegre vitas componeret, sed, sicut nunc quoque fieri solet, multis libris perlectis ex memoria plerumque scribebat et interdum librum aliquem denuo evolvebat. — Deinde dubium est, num illud Plutarchi de quinque milibus urbium Onesicrito tribuendum sit. Sane Strabo XV, 1, 4 p. 686 et 1, 33 p. 701 et Plinius N. H. VI, 21 inter Hydaspem et Hyphasim novem gentes et quinque milia oppidorum subacta esse tradunt (Strabo: *ixevoc = oi " A)ti-uvSpw ouyxaTaorpeipdenjoi TT)V " Aoiuv* sc. *kiyoumv*; Plinius: „Alexandri Magni comites scripserunt") et Plinius adicit, eosdem comites scripsisse „Indiam tertiam partem terrarum esse omnium". Verum quod Strabo XV, 1, 12 p. 689 et Arrianus Ind. 3, 6 Onesicritum hoc tradidisse memorant, inde non efficitur, illud quoque Onesicrito deberi. Evinci non potest, haec iam in fonte una memorata fuisse. Ea autem, quae apud Plutarchum exstant, falsa sunt. Quindecim enim, non novem gentes dicit et quinque milia oppidorum Pori regno adiuncta esse perhibet, cum Strabo et Plinius illum numerum de tota inter Hydaspem et Hyphasim regione accipiant. cuius Pori regnum pars fuit. — Denique Fraenkel existimare videtur, Onesicritum eodem loco, quo de Poro et Alexandro ageret, illud scripsisse, Indiam tertiam esse orbis terrarum partem. Quod minime probabile est. — Quae cum ita sint, nego, ea, quae apud Plutarchum c. 60 et 61 tradita habeamus, omnia unius scriptoris unum quasi fragmentum esse, sed ex compluribus fontibus hausta esse puto. Plutarchus ea, quae vulgo de Bucephalae morte ferebantur, commemorat et diversam Onesicriti relationem adicit. Aristobulus autem ex sua ipsius memoria famam vulgatam corrigere potuit. Tenendum est, eius modi consensum casu exsistere posse, atque summa cautione opus est, ne temere communem aliquem auctorem statuamus et in errores incidamus gravissimos.

Postremo duas res adnotaverim. Primum Arrianus, ubi Bucephalae mortis mentionem facit, V, 20, 6, narrat — oratione directa —, quondam in Uxiorum finibus, cum equus amissus esset, regem extremis minis usum equum recuperasse. Quam rem neque Arrianus in describenda illa expeditione (II, 17) commemorat, neque Diodorus XVII, 67, 3—5 aut Curtius V, 3, 16—23, sed alio loco, ubi expeditionem in Mardos susceptam describunt. (Diod. XVII, 76 et Curt. VI, 5, 11—21). Diserepat igitur inter scriptores. Expeditiones facillime inter se confundi poterant, cum et regiones et casus simillimi essent. Per se satius est Arriano fidem habere, qui semper fere alterum utrum ex comitibus Alexandri secutus sit et Aristobulum illo loco nescio an exscripserit.

Urbes duas ab Alexandro in utraque fluminis ripa conditas esse Diodorus quoque et Curtius narrant (Diod. XVII, 89, 6: „*exrioe Sk ouo -toAecc, TT)V pkv nipav TOU -orapou, xab\* ov TOTIOV UOTOC oifirj, TT)V Sk dxhjv ev w TO-W TOV Ilcbpov evcxrjaev*". Curt. IX, I, 6: „duabus urbibus conditis in utraque fluminis, quod superaverat, parte."). Sed quamvis cum Arriano congruant, tamen alio usi sunt fonte. Uterque enim hoc quidem loco urbium nomina omittit, et infra, cum Alexander ad Hydaspem rursus rediisset, nomina iis data esse perhibet (Diod. XVII, 95, 5; Curt. IX, 3, 23). Rem ita se habuisse, credibile non est. Communem subesse auctorem consentaneum est, cuius auctoritas ad posteros omnes pertinerit. Lassen II p. 164 adn. 3 Diodorum adfirmare opinatur, Bucephala in laeva fluminis ripa sitam fuisse. Sane ita eius verba „jenseits des Flusses" intellego. Sed haud dubie adverbium *-zipav* de dextra ripa accipiendum est, quia Alexander tum in laeva versabatur, ubi proelium factum erat.

## XXI.

In textu, qui dicitur, omnes res eodem ordine, quo apud Arrianum traditae exstant, enarrare studui. Droysen p. 145—147 eas, quantum fieri posset, conectere conatus est.

Arrianum huius capituli §§ 5 et 6 ab Aristobulo petiisse veri simile est, quia non tam ad res bellicas, quam ad levioris momenti res pertinent. Quod vero Fraenkel p. 280 et 281 adfert argumentum, miram quandam Arriani et Curtii similitudinem, hoc argumentum infirmum est. Arrianus enim V, 20, 5 testatur, interea (iv TOUTW) ab Abisare legatos venisse illum imperium Macedonum non iam abnuere nuntiantes. Atqui eum ante pugnam cum Poro societatem inire voluisse. Pergit: „zbe dk xui zbv ddeXtpbv zbv uuzou \$uv zbic d)2oic npiofteoi nup' 'Akesavdpov snspfte, ypr/pazd zs xopi&vza xai itepavzac zsooapdxovza Swpov 'A/e\$dvdp<u". Alexandrum superbe respondisse. Per se dubitare licet, utrum zbe ad priorem (Arr. V, 8, 3), an ad hanc Abisaris legationem referendum sit, sed, si diligentius in rem inquirimus, sine dubio de hac legatione accipiendum est. Minime enim scriptori opus erat legationem illam iterum et diligentius quidem commemorare. Quod si Arriani verba ita interpretamur, mirus ille cum Curtio consensus recedit. Curtius enim hoc loco IX, 1, 7 illius facit mentionem: „Abisares, qui prius, quam cum Poro dimicaretur, legatos ad Alexandrum miserat, rursus alios misit". Itaque discrepat inter scriptores, sed discrepantia ea est, ut fortasse Curtius vel auctor eius in fonte simile quid scriptum invenisse et prave intellexisse videatur.

Arrianus num iis locis, ubi Abisarem nominat, solo Aristobulo utatur, certum demonstrari nequit. Tenendum autem est, cum nullius auctorum, Ptolemaei et Aristobuli, dissensionis mentionem faciat, dissensionem de hac re non fuisse. Ea lex omnino sequenda est, nisi certis argumentis demonstratum est, Arrianum loco aliquo tacite alterum auctorem secutum esse, quanquam alter diversa memoriae prodidisset. Quod factum non est. De Abisare haec quidem praebet. Primum eum IV, 27, 7 commemorat, ubi Alexander ad urbem Ora profectus esse dicitur, quia legatos eius eo inrepsisse audivisset. Deinde V, 8, 3 legatos eius Taxila ad Alexandrum venisse refert; tertium hoc loco (V, 20, 5) foedus cum Poro

facere voluisse („inevbei xai auzbc £bv Tlwpuw zdoosaliai) dicitur. Quam Aristobuli esse relationem suspicor, atque scriptorem leviter rem attigisse puto. Curtius rem ante pugnam factam plane significat. Nam VIII, 12, 13 Alexandrum Taxilis certiore factum esse dicit, Abisarem belli fortunam experiri velle, atque VIII, 14, 1 Porus, cum Alexandrum adventare comperisset, credidisse fertur, non hostem, sed Abisarem auxilio advenire. Adicit Curtius: „et ita convenerat". Manifesta ea sunt, quae Diodorus tradit. Qui XVII, 87, 2 aperte narrat, Abisarem totidem ferme copiis atque Porum conlectis foedus cum hoc fecisse et Alexandrum, quia quadringenta stadia eum abesse audivisset, impetum facere festinasse. Item XVII, 90, 4 plane dicit: „zbv uazsprjxbzu Trjc rou Tjwpou ouppayiuc feuoilea bvopa 'F.piiioapov xuTan)rj\$deveoc rjvdyxuoec Tzoieiv TO 7TpoaTaaabpevov". Itaque Diodorus et Curtius, cum id, quod Arrianus obscure significet, factum esse adfirmat, non eodem, sed alio fonte usi sunt. — Praeferenda sunt, quae Arrianus praebet, quamvis altera relatio diligentior esse videatur. Equidem non dubito, quin non sit auctoris, qui rerum gestarum rationem melius cognoverit et compererit, sed mera coniectura, quam cum alia commutare licet. Neque enim necesse est statuere, foedus illud re ipsa factum esse; fortasse ante pugnam rumor incertus dilatus est, et postea Alexander a Poro cognovit, reges inter se de foedere egisse. Quod foedus si factum esset, Arrianum quoque plura memoratum fuisse arbitrator. Ptolemaeum hanc rem, quae ad bellum nihil valeret, silentio praeteriisse veri simile est. Aristobulus tantum enuntiavit, quantum memoriter enuntiare potuit. Diodori vero et Curtii auctor id factum esse narravit, quod fama per vulgatum erat. Quam ob rem non magni momenti est, quod Diodorus XVII, 87, 3 Abisarem quadraginta stadia a loco pugnae afuisse refert. Droysen haec inter se confundit, cum Abisarem Poro auxilio venisse p. 128 sine dubitatione narret. Besponsum ei datum certe omnium sermone celebratissimum fuit et a compluribus simul scriptoribus memoratum

est. Qua re, si apud tres scriptores eius mentio fiat, nondum communis aliquis auctor statuendus est. Diodorus et Curtius eundem auctorem, non eundem librum sequuntur. Nam etsi uterque deinde eodem modo Acesinem flumen commemorat, hoc quoque loco inter eos aliquantum discrepat. Velut Diodorus regem Embisarum, Curtius Abisarem appellat.

## XXII.

Arrianus de navibus post Alexandri ad Hydaspem flumen reditum his verbis commemorat VI, 1, 1: „*AX.£/-av8poc 8k knetdr) napeaxsudabr^oav aiircii £ni zou 'T3danou zdic iytlai' noXXai psv zpiaxbvzopot xai rjptohai . . . iyvco xazanX.eiv xard rbv 'T3aanrvj cbc £ni zrvj peydrjrv ftdXaooav*". Utrum naves tum coeptae sint aedificari, an finitae sint, non enuntiat. Verum, ne inique de Alexandro sentiamus, hanc rem diiudicari magni interest. Droysen p. 147 et Lassen H p. 166 Diodori et Curtii et Strabonis (Strabo XV, 1, 29 p. 698) locis laudatis naves statim ex pugna exstrui coeptas esse perhibent. Temporum si rationem habemus, haec sententia multo probabilior est. Aristobulus enim (Strabo XV, 1, 17, p. 691: (*ApczoflouXoc cprjai) knetdrj xazap^doiv eni rbv 'Tddonrvj xai vixrjoaot Ilcbpov b3bc rjv eni rbv "Tnavtv npbc ico xdxsWsv £ni rbv 'Tddonrp ndXiv, osob-at auvsycoc xdt pdXtaza zoic szrjoiate, entzei.avzoc 3s dpxzoupou yeviaiat nauXav Siarpitpavra- 3k nspi rrvj vaonrvjiav £ni raji 'TSdanrvj xdt nX.siv dpzapivouc npb duaewr nXr/id3oc ou noXXaic ijpipat-. ."*) ad Hyphasim flumen iter aestate factum esse testatur eo tempore anni, cum imbres perpetuo effunderentur, et rediisse exercitum ad Hydaspem flumen paulo post arcturi sideris ortum i. e. post diem undecimum mensis Septembris, deinde tempore in navibus faciendis consumpto paucis diebus ante pleiadum occasum i. e. exeunte mense Octobri naves consensas esse. Quadraginta autem vel quinquaginta diebus, quamvis enixe in opere versarentur, tanta, quanta opus erat, navium multitudo effici non potuit. Etiam si Alexandrum, cum apud Hyphasim flumen reverti decrevisset,

nuntios Bucephala et Nicaeam misisse statuamus, qui de classe struenda mandatum perferrent, paucos lucramur dies, qui nequaquam sufficiant. Itaque ex re ipsa efficitur, Alexandrum iam tum de navigatione cogitasse. Accedit aliud Strabonis testimonium XV, 1, 29 p. 698: „*pera8b 3e rou 'TSdonou xai rou 'Axeoivou . . . xdt rj npbc roic 'Hpc03oXc opeoiv uXrj, k~ rjc 'AXi^avSpoc xarrjyaye zep 'Tddonr, xotpac eXdrjrv zs noXlrjv xai neuxrvj xai xidpov xdt dXXa navzoia azeXiyrv vaunrvjrjot/ja, ET- div ozoXov xarsoxsudoaro £ni rep 'Tddonrvj. .*”, quem locum ad Aristobulum referendum esse Vogel „De fontibus quibus Strabo in libro quinta decimo conscribendo usus sit” p. 23 satis certis argumentis comprobavit. Quanquam apud Strabonem aperte traditum non est, arbores statim post proelium caesas esse, tamen, cum hac libri parte Alexandri res, quo ordine gestae sint, enumeret, id pro certo adfirmare licet. Aristobulus hac libri parte plura de silva illa narraisse videtur. Praenkelium iniuria totam § 29 Strabonis Clitarcho tribuere, supra (append. I) exposui. Fugit hominem doctissimum, quod Strabo eadem paragrapho i. e. statim ex pugna oppidis ad Hydaspem flumen conditis nomina data esse refert. At Clitarchus, siquidem omnium, quae una apud Diodorum, Curtium, Justinum exstant, auctor fuit — id quod Fraenkel credit —, postea id factum esse memoravit, cum Alexander ab Hydaspem rediisset (Diod. XVII, 95, 5; Curt. IX, 3, 23). Jam supra de hoc Fraenkelii errore egi. Adicio haec. Altera huius paragraphi pars, ubi simiae commemorantur, haud dubie ex Clitarcho sumpta est. Sed incipit Strabo a verbo „*Strjyouvrat*” et vel hoc verbo indicat, ea, quae praecedant, quae oratione directa memorentur, alterius auctoris esse. De Onesicrito vero cogitari nequit, quem Strabo § 28 vehementissime vituperavit. Quae cum ita sint, per se veri simillimum est, omnia, quae in his §§ oratione directa enarrantur, Aristobuli esse, praesertim cum § 28 Meleagri acerbe dictum referatur, quod ab hoc scriptore relatam esse supra coniecimus.

Non mirum est, Arrianum huius rei mentionem non facere. Aristobulus enim — quantum ex reliquiis eius conligi potest — quo magis agmen ad interiorem Indiam penetraret, eo magis in regionibus et arboribus bestiisque describendis versatus esse videtur. Qua re eius historiae Arriano, qui bellum Indicum enarrare vellet, minus aptae quam Ptolemaei fuerunt. Hoc enim libro omnium primum res bellicas spectare voluit; omnia, quae ad situm populosque Indiae describendos pertinerent, altero peculiari de India libro perscribere destinaverat. (Arr. V, 5, 1). Itaque eorum, quae sequuntur, paene omnia ex Ptolemaeo historiis hausit.

## XXIII.

Quae Diodorus **XV n**, 89, 4—90, 4 et Curtius IX, 1, 1-9 de rebus ab Alexandro post pugnam gestis exhibent, omnia fere ex scriptore sumpta sunt, qui res bellicas minime curaret. Expeditionem enim in Glausas susceptam prorsus neglegunt; Alexander sacris sollempnibus Soli factis militibusque largiter donatis naves aedificari iubet, urbes duas condit, denique Abisare increpito iter pergit. Quod iisdem fere verbis narrant: Diod. XVII, 90, 4: „*auzbc dk pezd zrji duvdpeco: nepdaac zbv rtozaphv -porjye...*” Curt. IX, 1, 9: „hinc porro amne superato ad interiora Indiae processit”. Accipiens est Acesines. Hic locus vel optime utrumque scriptorem eodem auctore usum esse ostendit. Sed quanquam consensus cernitur vel maximus, tamen tantum discrepat inter eos, ut non idem plane, sed similis fons statuendus sit. Quod Curtius praemia militibus data multo diligentius describit et Alexandrum copias in contione laudantem et adhortantem facit, id non presserim. Deinde autem montium et silvarum mentionem faciunt, ubi arbores ad naves struendas caesae essent, et serpentes ingentis magnitudinis commemorant, sed cum Curtius rhinocerotas quoque in iis montibus fuisse dicat, Diodorus Clitarchum secutus simias fuisse perhibet, quorum capturam accurate describit. Quod si eundem ab utroque librum ad-

hibitum esse putamus, mirum haud scio an fuerit, alterum alteram rem elegisse; nec minus mirum fuerit, Curtium narrationem pulcherrimam plane omisisse. Immo ex variis fontibus hauserunt, sed simillimis. Apparet rursus, fuisse quondam scriptorem, cuius libro posteri omnes fere quasi fundamento uterentur, cui additamenta undique sumpta insererent.

Diodorus XVII, 90, 1 serpentes sedecim cubitus longas fuisse dicit. Hoc ex Nearcho sumptum esse Fraenkel p. 154 demonstravit. Nearchus (Arr. Ind. 15, 10) Pythonem serpentem tantae longitudinis cepisse memoriae prodiderat. Clitarchus (Aelian. n. C XVII, 2), qui huic Diodori loco subesse videtur, tantam serpentem re ipsa fuisse memoraverat. Diodorus multas eius modi serpentes fuisse dicit. Apparet, quanto opere quaeque res paulatim aucta sit. Nearchum in Clitarchi auctoribus fuisse et per se veri simile et a Fraenkelio p. 154 sq. comprobatum est.

Ceterum Diodorus de simiis ita incipit narrare (XVII, 90, 1: *Jdiov dē ze xaza zr)v bpetvr)v zr)v nkrjaiov unr/pye* etc”), ut ea, quae praecedant, alii auctori tribuenda esse videantur. Num eo loco, quo navigia aedificata esse perhibet, Aristobulum adgnosceret liceat, certum adfirmare non audeo. Sed de eo posse cogitari, non est negandum. Non ignoro, omnes consentire, Clitarchum fuisse primum Diodori auctorem, sed nullam video causam, cur non liceat statuere, ex Aristobulo quoque, scriptore haud ignoto, aliqua postea in Clitarchi relationem inrepsisse. Doleo, me propter adiumentorum penuriam causam diiudicare non posse.

## XXIV.

Strabo XV, 1, 30 p. 699, si quidem eius verba recte accipio, huius Pori regnum in hac mesopotamia, ut ita dicam, fuisse dicit: „*dUot dk xdi zou 'Axeivou nepav xai zou' Tapcbztdoc.* (sc. *zr)v Kdtatav zeMaoc*), *ilpopov zf/ Hojpou zou izipou*” et adicit: „*xaXouat 8e Tavdapida zr)v imb zouzcp ywpav*”. At XV, 1, 26 p. 697 a Strabone regionis mentio facta est ad

Cophenem flumen sitae, cui nomen fuisset Gandaritidi (cf. Lassen I p. 502 sq.; Hecataei fgm. 174—179; Herod. III, 91 et VII, 66), quae in titulo Behistunico in provinciis regni Persarum habetur (Lassen I p. 2). Persae enim nunquam Indum flumen transgressi sunt. Accedit, quod etiam septimo post Christum natum saeculo haec regio Gandhara vocabatur (Lassen I p. 505). Itaque, cum nomen illud huic regioni, non Pori minoris regno tribuendum sit, Strabo hoc loco falsus est. Lassen II p. 151 Gandaridas in pentapotamia incoluisse, post vero etiam regione ad Cophenem sita potitos esse existimat. Quae, coniectura, cum in hoc solo Strabonis loco posita sit, vereor, ne infirmior sit. Contra Diodorus XVII, 91, 1 Porum *sig rb rww ravdaptwv siruoc* confugisse enuntiat et Gandaridas XVII, 93, 2—4 et 94, 5 eosdem esse dicit, qui etiam Praesii vocarentur, validissimam gentem omnium, quae ad Gangem flumen tum incolebant. (cf. Plut. 62: „*ol ravdaptwv xai Ilpaiowv faodeic*“) Jam vero Curtius IX, 2, 3 Gangaridas et Prasios commemorat, quae scriptura apud Plinium quoque (N. H. VI, 21, 9—23, 11) exstat. Quae cum ita sint, Lassen I p. 200 adn. 3 coniecit, Gangaridarum nomen non esse proprium, sed Gangis fluminis accolis a Graecis impositum. Neque vero Diodori et Plutarchi scriptura mutanda est: scriptores certe iam pridem haec duo nomina inter se confundere coeperunt. •— De itinere ab Acesine usque ad Hydraotem facto Diodorus et Curtius paucissima exhibent et fere tantum in regione describenda versantur. Curtius IX, 1, 9—12 arbores ingentes (ficus) commemorat, caelum salubre, serpentium magnam vim, quorum morsu mortifero non pauci extincti essent, donec ab incolis oblatum esset remedium. Deinde per deserta ad Hydraotem flumen — quem Hyarotim vocat — ventum esse memorat, quanquam regionem illam fertilissimam esse constat. Diodorus XVII, 90, 4—91, 2 eadem narrat, sed et de arboribus et de serpentibus accuratius agit. Idem Alexandrum, de Pori minoris fuga certiore factum, Hephaestionem eo misisse et terram alteri Poro tradere

iussisse perhibet; Porum minorem nepotem alterius fuisse dicit. Hac igitur de re cum Arriano plane congruit. Ceteroquin manifestum est, Diodorum et Curtium eandem relationem sequi, quae apud Diodorum quidem integrior quam apud Curtium exstet. Neque tamen eundem librum adhibuerunt, quia a Curtio Pori minoris nulla facta est mentio; dubium autem est, num eum silentio transiturus fuerit, si in fonte, quem modo ad manus haberet, commemoratum invenisset. Qua re si communem illum auctorem hanc rem commemorasse credimus, in eo libro, quem Curtius hoc loco usurpavit, res omissa iam erat. Fortasse autem Ptolemaeus, quem apud Arrianum agnoscere licet, in Diodori quoque auctoribus fuit. Etiam si non ipse eum adhibuerit — id quod parum probabile est —, aliquis ex iis scriptoribus, quos Diodorus sequitur, eum interdum ad manus habere potuit. Per se hoc non est negandum, nisi superstitionis crimen subire velimus. Quod si quis de Ptolemaeo dubitat, de Aristobulo optime cogitari potest. Cum enim Strabo XV, 1, 30 p. 699, ubi Aristobulum sequi videtur, Porum illum nepotem alterius Pori dicat, id quod apud Arrianum desideratur, apud Diodorum quoque Aristobulum latere suspicari licet, qui Ptolemaei relationem memoriter compleverit. Utcumque res se habet, Curtius hoc quidem loco ex fonte hausit, in quo res bellicae prorsus neglectae essent. Velut nullius oppidi nomen adfert, cum supra eius modi res nunquam omiserit. Quam discrepantiam cum ipsi Curtio non attribuam, ne alii quidem scriptori vitio dederim, sed Curtio hac libri parte, alium atque supra fontem sequi existimo. Contra Arrianus, qui tantum res gestas spectet, solo Ptolemaeo usus esse videtur.

## XXV.

In iis quae Diodorus XVII, 91, 2—4 exhibet, quamvis sint ieiuna, aliqua inveniuntur, quae per se probabilia sint. Idem in Curtium IX, 1, 13—23 valet. Atque Diodorus quidem Hydraote flumine non aliter atque Acesine omissio Adre-

stas commemorat, quorum oppida Alexander partim vi, partim gratia recepisset. Haec cum Arriano fere concinunt, si locum eius V, 21, 6 respicimus, sed eadem non eundem Diodoro fontem fuisse docent. Deinde Alexander ad Cathaeos venit, quorum maximam urbem acerrimo certamine facto vi capit, captam comburit. Quam urbem nihil obstat, quo minus Sangala accipiamus. Alteram urbem, quam oppugnabat, incolis deprecantibus incolumem relinquit. Quod apud Arrianum desideratur. Adrestas et Cathaeos etiam in Trogi Pompei fonte commemoratos fuisse ex Iustini epitome efficitur XII, 8, 9: „inde Adrestas, Catteanos . . . caesis eorum exercitibus expugnat". Adnotat Diodorus, apud eam gentem morem fuisse, ut mulieres una cum maritis mortuis concremarentur, quia una olim mulier maritum veneno dato interfecisset.

Curtius et a Diodoro et ab Arriano dissentit. Apud Hydraotem vel potius Hyarotim flumen silvam memorabilem fuisse dicit. Hinc Alexander „castris motis" oppidum corona capit (Pimprama?). Deinde obsidionem alius urbis ita describit, ut sine dubio Sangala urbs sit intellegenda. Omnia enim optime eo quadrant: Alexander urbem adgressus „non muro solum, sed etiam palude munitam", barbaros, qui ante moenia vehiculis se saepserant, octo milibus caesis intra moenia compellit. Quod proelium satis diligenter depingitur. Postero die scalis admotis urbem vi expugnat. Paucissimi incolae periculum fuga evitant et in finitima oppida famam cladis perferunt.

Usque ad hunc locum Curtium in universum cum Arriano congruentem vidimus; quae sequuntur, diversa sunt, vel potius apud hunc omnino non exstant. Alexander Perdicca ad vastandam regionem misso et parte copiarum Eumeni tradita „ut is quoque barbaros ad deditionem compelleret", ipse ad aliam urbem munitissimam contendit. Incolis dubitantibus, utrum resisterent, an se dederent, ab amicorum factione recipitur. Omnibus venia datur. Proxima urbs ab incolis traditur, postquam obsides Alexandri clementiam praedicaverunt

(Hanc rem Polyaeus quoque IV, 3, 30 commemorat): ceterae urbes eodem modo in fidem accipiuntur. Quas duas urbes ne Diodorus quidem commemorat. Hoc loco inter Diodorum et Curtium tantum discrepat, ut ad unum auctorem revocari non possint, nedum eiusdem scriptoris librum exscripserint. De fontibus eorum nihil certi proponere audeo. Fac enim, ubicumque Diodorus, Curtius, Iustinus inter se congruant, de Clitarcho cogitari posse, haud dubie idem statui nequit, si duo consentiunt, tertius diversa profert, neque aliunde de Clitarchi relatione quicquam cognitum habemus. Itaque inde, quod Diodorus et Iustinus Adrestas et Cathaeos commemorant, Curtius non commemorat, neque de Clitarcho, neque de alio scriptore quicquam concludere licet. Quid hoc loco communis horum scriptorum auctor memoraverit, ignoramus. Hoc tenendum, ea, quae apud Curtium IX, 1, 19—23 tradita habeamus, per se probabilia esse. De Eumene plane cum Arriano concinit. Sed ne ea quidem, quae de Perdicca refert, Arriano repugnant. Perdiccas enim ab Arriano in proelio Sangalensi parti copiarum praefuisse traditur; agrum Cathaeorum devastatum esse consentaneum est. Non minus probanda sunt, quae Curtius de ceteris duabus urbibus refert. Cui auctori id tribuendum sit, utrum communi illi, quem Diodorus quoque sequitur, an alii, non disceptaverim. Ptolemaeus, quem Arriani auctorem statuimus, — id quod non est mirandum — de his rebus tacuisse videtur. Cum enim, quantum iudicare possumus, ea potissimum perscriberet, quibus ipse interfuisset, facile fieri potuit, ut multa strictim attingeret vel plane omitteret. Itaque omnino multas urbes in detitionem venisse dicit, sed nullius mentionem facit. Quanquam, cum de auctore huius narrationis nihil conicere audeam, eam in textum, qui dicitur, non recipio.

## XXVI.

Diodorus XVII, 91, 4-93, 1 et Curtius IX, 1, 24-2, 1 rursus multa narrant, quae apud Arrianum non exstant,

atque adeo congruunt, ut manifestum sit, eos eandem relationem sequi. Locus est difficillimus. Uterque memorat, Alexandrum in regnum Sopithis pervenisse, ubi corporum pulchritudo plurimi aestimaretur. Sopithem se suisque omnibus Alexandro deditis canum, qui in ea regione spectatae audaciae essent, quattuor in consaepo cum leone certare iussisse. Adicit Curtius verba notissima § 34: „equidem plura transcribo quam credo: nam nec adfirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quae accepi". Deinde cum Hephaestione, qui alibi rem gesserat, copiis iunctis, (quem dimissum esse, neuter commemoravit) ad proximam gentem venit, cuius rex Phegeus fuit. Qui item se omnia, quae vellet, libentissime facturum pollicetur et exercitum hospitaliter excipit. Tertio die Alexander Hyphasim flumen traicere vult, sed a militibus impeditur. Cum Arrianus taceat, difficile est dictu, quantum Diodoro et Curtio habendum sit fidei.

De Sopithis regno Strabo idem fere commemorat XV, 1, 30. 31 p. 699. 700 (pulchritudinem plurimi aestimatam esse, canes egregios fuisse, quibus de canibus eadem profert), sed ita, ut magis cum Diodoro, quam cum Curtio congruat. Uterque enim Sopithem Alexandro centum quinquaginta canes dono dedisse, quorum primo duos, deinde iterum duos cum leone commisisset, atque Alexandrum, cum unus ex ministris canis leoni inhaerentis crus amputare inciperet, reclamasse, donec Sopithes ei integros canes (Diodorus tres, Strabo quattuor dicit) pro uno mutilato se daturum esse promississet. Itaque Curtius, qui haec non perhibet, magis ab illo scriptore differt, qui primus hanc narratiunculam protulit. Cum Strabo initio § 30 Onesicritum testem adferat („*fiatlia re ydp xiiv xdUtorov aipeiadaı cprıav 'Ovrjoixptoc'*"), conligi potest, eum primum eius fuisse auctorem, quem Clitarchus exscriberet, siquidem communis Diodori et Curtii auctor fuit. Sed talis coniectura nihil valet ad memoriam rerum gestarum restituendam. Neque enim Onesicritus scriptor fuit melior aut dignior, cui fidem habeamus, quam Clitarchus. Fraenkeliu, qui

p. 145 illud adfirmat, unum plane fugit. Strabo enim Sopithis regnum Cathaeam, incolas eius Cathaeos appellat et cum Diodoro consentit, apud eos morem fuisse, ut mulieres cum maritis comburerentur, eandemque causam moris adfert. Iam vero, si Onesicritus Sopithis regnum Cathaeos fuisse tradidit, et Clitarchus, qui Diodori et Curtii auctor habetur, Onesicritum secutus est, mirum est, hos duos scriptores Cathaeos in liberarum gentium numero habere et a regno Sopithis distinguere. Itaque diligentius in locum Strabonis inquiramus.

Summa eius haec est: quidam Cathaeam, Sopithis regnum, inter Hydaspem et Acesinem sitam fuisse putant „*xai TT)V KcBataı di rtvec (xai) rrıv 2'co-eiıtouc, rcbv vopapycbv'*", alii (*dUa*) „*xai rou 'Axeoıvou nipav xai rou ' Yapcbrtdoc-*". Quae verba non ita accipienda sunt, quasi terram illam inter Acesinem et Hydraotem vel Hyarotim fuisse existimaverint, sed alii regnum Sopithis in orientem spectasse et trans Acesinem, vel trans Hydraotem fuisse censuerunt. Non consentio cum Miellero „Die Alexandergeschichte nach Strabo" p. 45, qui parum perspicue verba sic interpretatur: „so dass also ein Theil iiber den Acesines, ein anderer noch tiber den Hyarotis reichte"). Itaque Strabo vel auctor eius duas noverat de Sopithis regno relationes. Hoc non parvi momenti est. Pergit Strabo: „*ev de Tıj Kaitata xatvorarov ioropeırat rb rrepi rou xdUouc'*" deinde Onesicrito laudato regem in illa regione omnium pulcherrimum creari memorat et similiter atque Diodorus et Curtius describit, quanto opere infantium pulchritudinem spectaverint. Tum verbo *Joropeırat'* usus tradit, apud Cathaeos viduas combustas esse causamque moris adfert. Tum verbo „*paıı~* adhibito *ev rf. Zco-eııtouc* montem ex mero sale maximum fuisse et iterum verbo *Jaropsırat'* usus ibi auri et argenti metalla fuisse memorat „*cb- idrjkcoıs fbpyoc 6 psraUsurıjc'*". Denique verbo „*ıtrfyovırat'*" usus *ev rrıj İw-sııouc* canes fuisse memorat, de quibus cum Diodoro plane congruit.

Tenendum est, apud Diodoram Cathaeos, etiam si hoc non certo adfirmetur, liberam gentem dici et a Sopithis popu-

laribus distingui, morem autem viduas comburendi illis attribui. Cum vero Curtius, ubi de Sopithe agat, Cathaeorum nullam faciat mentionem, veri simile est, communem eorum auctorem utrosque distinxisse. Idem auctor, cum Diodorus et Curtius de hac re consentiant, Sopithis regnum trans Hydraotem flumen sitam fuisse memoriae prodiderat. Quae cum ita sint, alii („7/Oi") illi, quos supra diximus, idem scriptor fuisse videtur. Cui altera de gentis situ sententia tribuenda sit, dubium est. Possis de Aristobulo cogitare, quia relatio illa a Strabone prior adfertur atque Strabo hac libri parte in gentibus civitatibusque persequendis Aristobulum fere sequi videtur. Sed mirum est, quod rem in dubio relinquit, quanquam supra omnia certo adfirmavit. Iam vero Strabonem ipsum Cathaeos et Sopithis nationem inter se confudisse, non crediderim. Neque enim Strabo, neque ullus alius scriptor, si in fonte gentes distinctas invenit, in eius modi errorem incidere potuit. Itaque hunc errorem non posterioris aetatis scriptori sed uni ex aequalibus Alexandri Magni vitio dandum esse existimo. Maxime autem probabile est, Onesicritum erroris auctorem esse, praesertim cum a Strabone testis nominis „Kdiuiiu" adferatur, quod neque apud Arrianum, neque apud Plutarchum, neque apud ceteros tres scriptores invenitur. Si res ita se habet, nihil est, quod Clitarchum ex Onesicrito hanc narratiunculam hausisse statuamus, si quidem Clitarchus communis Diodori et Curtio fuit auctor. Omnino, si temporum rationem habemus, fieri non potuit, ut eo tempore, cum Clitarchus historias conscribere inciperet, tantus praesto esset numerus librorum ad res Alexandri Magni pertinentium, ut omnia, quae perscriberet, ex scriptis fontibus sumere posset. Itaque Onesicritum puto de terra quadam Cathaea et Sopithe rege memorasse, quae Strabo cum iis, quae alii scriptores, vel alius scriptor de gente Cathaeorum et de regno Sopithis rettulissent, in unum coniunxerit.

Iam vero, cum Arrianus taceat, quaeritur, quid nobis de hac re sentiendum sit. De Cathaeis Lassen (I p. 127 adn.

3; p. 801 adn. 2; II p. 167) egit. Libera erat gens, quae in inferiore Pentapotamiae parte ab Acesine usque ad Hesydrum flumen incolebat; nomen eius (Khattia) vel hac aetate in illa regione exstat. Sangala quoque (in carmine, quod Mahabharata vocatur, Cakala liberorum Indorum urbs commemoratur. cf. Lassen I p. 801 adn. 2) cum aliqua veritatis specie certae regioni adscribere possumus. Urbem enim inter Hydraotem et Hyphasim flumen sitam fuisse apparet. Nam etiam si Arriani verba V, 22, 3: „xai Seurepahc unb rou norapou" prave intellegi possint, quasi Alexander iter retro verterit, atque Kiepert, quantum ex tabula eius geographica conligi potest, ea ita acceperit, tamen res est manifesta. Omnia expediuntur verbis Arr. V, 22, 1: „rok Ka&aiouc . . . jiapauxeud&ofta' djc £c pdyrjv, el npoodyot rfj ydipa aurcbv ' AX££avSpoc", quae sensu carent, si Cathaeos Alexandro Hydraotem flumen transgresso a tergo fuisse putamus. Accedit, quod Hephaestio ad illam regionem inter Hydraotem et Acesinem sitam pacandam missus erat atque etiam tum ibi versabatur. Difficilius est ipsum locum definire. Quidam homines docti, quorum libros ipse non inspexi (cf. Lassen II p. 168 adn. 1), Sangala Haripah esse censuerunt. Quod oppidum propius ab Hydraote abesse Lassen obiecit et adlato Strabonis testimonio (XV, 1, 32 p. 700: „r) S^vftevSe bSbc npbc £co pullov... rr)c uncopeiac pdXov... £yop£vrj") nimis in meridie spectare contendit. Ipse de alio loco suspicatur, qui nunc Amritsar dicitur et in media via inter Hydraotem et Hyphasim situs est. Verum enim vero ab Arriano traditum non est, Sangala ab Hydraote in orientem versus tria castra afuisse, sed Alexandrum tertio die ad urbem pervenisse. Quin etiam ex Arriano effici potest, eum infesto de Cathaeis nuntio accepto in partem australem iter flexisse. Sane ea, quae apud scriptorem tradita habemus, huic sententiae non officiant: Alexander Hydraote traiecto porro procedit; £v rourep certior fit, Cathaeos bellum parare, el npoodyot rfj ycbpa uurbv; deinde onouSr) rjlauvev cbc £ni rouc Ka&aiouc. Ne Strabonis quidem

testimoriium obstare confido. Qua re cum Alexander in meridiem iter vertisse videatur et Cathaei in ea regione incoluisse constet, etiam caput gentis in eo tractu situm fuisse arbitror.

Difficilius est Sopithis regnum investigare. Arrianus enim V, 24, 8: „*adzbc dk \$bv zff ozpazia £m zbv*“ *Υ<ραιοiv rrozapbv TZPOUYOJPS:i*“ Alexandrum, postquam Sangala rediisset, recta via ad Hyphasim flumen processisse refert. Itaque neque intellegi potest, ubi Sopithis regnum situm fuerit, neque quando Alexander eo pervenerit. Lassen II p. 170, quem Droysen p. 154 sequitur, Alexandrum Sangalis ad septentrionem in Sopithis regnum profectum esse facit, quod in imis Himalaya-montium collibus ad Hyphasis et Hesydri ripas fuisse contentit. Primum enim illo Strabonis loco (XV, 1, 30 p. 699) usus, ubi Sopithis regnum *Kd&aia* vocatur, eius gentis esse regionem conicit, quae ab Indis Kekaja, ab Arriano (Ind. 4, 8) *Kyxeo* dicitur (cf. Lassen I p. 350 et II p. 170) quam ibi incoluisse constat. Deinde apud hanc gentem regum nomen Acvapati fuisse ostendit, quod idem atque „*Icinei>rTjce*“ esse existimat; tum in magno Indorum carmine heroico in eadem regione canes eximii roboris fuisse dicuntur; denique cum Droyseno consentit, illum salis nativi montem, quem Strabo commemoret, apud locum, qui nunc Mondi vocatur, inter Hyphasim et Hesydrum situm esse.

Fac Lasseni coniecturam haud improbabilem esse: ea, quae deinde profert, ferri nequaquam possunt. Nam ex Sopithis regno Alexandrum ad Phegeum regem et Hyphasim flumen pervenisse narrat. Phegei autem regnum Lassen II p. 171 adn. 1 situm fuisse adfirmat: „Ohne Zweifel an dem unteren Laufe der Vipaca (Hyphasis) in der Nahe des Zusammenflusses mit der Catadru (Hesydrus)“. Itaque Lassen Alexandrum illam regionem iterum a septentrione in meridiem versus peragrare opinatur, id quod ab omni probabilitate abhorret. Droysen p. 155 simpliciter dicit: „Dann zog Alexander weiter in das benachbarte Gebiet des Fürsten Phegeus“,

sed ubi ille angulus fuerit, minime quaerit. Neque de Phegeo quicquam accepimus. Sed, ne longus fiam, hoc missum facio.

Sopithis regnum si in illa regione fuisse putamus, neque locus invenire potest, cui regnum eius attribuamus, neque tempus, quo Alexander ibi versatus sit. Credibile non est, paucis illis diebus, ante quam Sangala urbs capta esset, Alexandrum regnum eius attigisse, sed ne postero quidem tempore id factum esse potest. Totum enim inter Hydraotem et Hyphasim spatium non amplius centum kilometra latum est. Itaque Alexander, etiam si Sangala urbs propius ab Hydraote flumine afuerit, tribus castris ad Hyphasim flumen pervenire potuit. Qua re eum, qua esset impatientia, nulla mora interposita iter fecisse puto. Neque enim eius erat temere in septentrionem, deinde rursus in meridiem, denique ad Hyphasim errare. Quodcumque sibi proposuit, id summa perseverantia persecutus est neque pueriliter mirabilia sectatus est. Itaque si Sopithis regnum Kekaja gentis fines esse volumus, statuendum est, Alexandrum in eam regionem non pervenisse. Fieri potuit, ut regulus, cum Alexander in Cathaeorum finibus versaretur, hunc adiret atque certamen illud leonis et canum institueret, neque vero in sua ipsius regia, sed in Macedonum castris. Facillime inde narratiuncula variis additamentis exornata nasci potuit. Velut ea, quae Curtius de Alexandri in Sopithis urbem introitu memorat, tam similia iis sunt, quae de Taxilis urbe narrat, ut per se suspecta videantur.

Sed, si ita iudicemus, mirum est, Arrianum, qui omnes gentes et reges in potestatem Macedonum redactos diligenter commemoret, huius regis mentionem nullam facere, cuius regnum Lassen et Droysen satis magnum et amplum fuisse arbitrentur. Potius hinc concluderim, eum regulum parvulum fuisse. Sed profiteor, me sententiam Lasseni, quamvis probabilis videatur, probare non posse. Primum enim nullus dubito, quin *Krjy.eol* ea fuerit gens, quae ab Indis Kekaja vocata sit, sed Sopithis regnum ibi fuisse, argumentis

firmioribus demonstrari nequit. Lassen et Droysen, quam aperte non profitentur, sine dubio inde sunt profecti, quod apud Strabonem Sopithis regnum Cathaea appellatur. Itaque sumendum fuerit, eos scriptores, qui primi de illis regionibus narrant, Khattia-Cathaeos cum Kekaja-Ceceis confudisse. Sed cum Arrianus Ind. 4, 8 Megasthenem secutus nomen „*Krjxeoi-* adferat, cum Diodorus et Curtius Sopithem a Cathaeis distinguant atque Strabo quoque, ubi de salis nativi monte et de canibus agat, verba „*iv RFJ Iw-eiitou'*- adiciat, sequitur, etiam antiquos scriptores eos discrevisse. Iam operae pretium est animadvertere, quam dubitanter Strabo de Cathaeis et Sopithe loquatur. Nunquam enim simpliciter modo indicativo utitur, sed totus est in formulis „*iorope-CTAI* „*fam*“ etc. At supra nunquam in dubio est p. 698 et 699: „*PETA&u dk TOU 'Ivdou xai TOU 'Yddrmou T&Edd &OTC*“, paulo infra: „*u~kp dk rauTrj- &v TO-C. dpeotv i) TOU 'Aftodpou %wpa*“; deinde: „*peza&u Sk TOU 'YSdortou xai TOU 'Axeivou i~ Te TOU flwpou &oti*“. Conligi inde licet, aut Strabonem non nisi apud pessimos scriptores Sopithem commemoratum repperisse, aut iam auctores eius de Sopithe dubitasse. Vel de situ regni inter scriptores magno opere discrepat. Contra, si terra fuit magna et opulenta et si Alexander ipse eam percurrit. fieri non potuit, ut fama tam incerta esset.

Deinde canes illi praeclarissimi, non solum eius regionis proprii fuerunt, quam Kekaja incolebant, sed antiquis temporibus Indorum canes omnino erant celebrati (Herod. I, 192) et in aliis quoque Pentapotamiae partibus colebantur. Tum salis nativi montes non solum in eo, de quo Droysen cogitavit, tractu Indiae, sed omnino in septentrionali eius terrae parte inveniuntur (Lassen I p. 294). Qua re hic mons non impedit, quo minus Sopithis regnum magis in occidentem spectasse censeamus. Relinquitur nomen „*2Wei^c*“ et Acvapati concentus: sed cum Lassen ipse hoc argumentum non premit, sed ceteris argumentis commotus idem esse nomen coniecerit, non est, quod in hac re haereamus.

Quae cum ita sint, fuisse Sopithem regulum non negaverim, sed alii eum regioni attribuo. Atque cum inter Hydraotem et Hyphasim, ubi gentes liberae incolebant, spatium non suppeditet, regnum eius in occidente requirere lieet, velut inter Hydaspem et Acesinem. Quae sententia Arriani testimonio comprobatur, qui VI, 2, 2 memorat, Alexandrum, cum in Hydaspes flumine naves conscenderet, Hephaestionem et Craterum alterum altera ripa usque ad Sopithis regiam procedere iussisse. Efficitur regiam ad Hydaspis ripam sitam fuisse; utrum ad dextram an ad laevam — utrumque enim cogitari potest — non liquet, nec multum interest. Nullo iure Droysen p. 172 adn. 2 Arrianum hoc loco Sopithem et Spitacem confudisse suspicatur (cf. supra). Sopithem dynastam parvulum fuisse putandum est, qui Alexandro Taxilis castra tenenti se subiceret canesque dono daret. Regioni alienae eum primus is scriptor videtur attribuisse, quem Diodorus et Curtius communi usi sunt auctore. Qui scriptor haud dubie iis temporibus fuit, cum memoria rerum a magno rege gestarum vigeat, necdum in certam formam erat redacta. Sic error eius modi facile oriri potuit. Quem unum scriptorem posterius omnes fere secuti sunt. Onesicrito vitio dandum est, quod quodam modo Sopithem et Cathaeos confudit et regionem aliquam Cathaeam commemoravit. Utrum ipse iam totum errorem commiserit, an Strabo vel huius auctor aliquis minorem errorem auxerit, dubium relinquo.

Ut paucis complectar, quae probasse mihi videar: Omnia, quae de Sopithe tradita habemus, in textum historiarum Alexandri Magni non sunt recipienda.

Idem valet in aliam rem, quam Diodorus XVII, 93, 1 et Curtius IX, 1, 35 memorant: ad Alexandrum Hephaestionem cum copiis advenisse, qui in diversa regione re feliciter gesta magnos Indiae tractus subegisset. Per se haec veri sinillima sunt optimeque ad Arrianum quadrant, qui V, 21, 5 Hephaestionem ab Hydraote flumine in Pori minoris regnum missum esse memoravit. Diodorus et Curtius hoc omiserunt.

Sed obstat alius Arriani locus V, 29, 3. Alexander enim cum ad Acesinem flumen rediisset, „*xaTa/apj3dvst πτην nbkv κέυ>xo-doprijpevrjv, rjvTiva 'HcpataTojv auTdi ixTeci/oaT eTdybrj.*” Quod si Hephaestio prius, quam Alexander ad Hyphasim perveniret, copias cum eo coniunxit, tempus ei non suppeditavit ad mandatum exsequendum; sin autem ab Hyphasi flumine mandato accepto praemissus est, ut urbem conderet, tempus ei non magis suppeditavit. Atque per se veri similis est, Alexandrum Hephaestioni id mandasse, cum ipse ad Hydraotem constitisset, antequam iter ad Hyphasim flumen pergeret. Adnotaverim, Lassenum II p. 169 vehementer errare, cum Sangalis captis Hephaestionem ad regionem inter Hydraotem et Hyphasim sitam subigendam missum esse dicat. Quae enim Arrianus memorat, huic sententiae prorsus repugnant.

A Sopithe Alexandrum ad Phegeum regem venisse Diodorus XVII, 93, 1 et Curtius IX, 1, 36 perhibent. Neque tamen plane consensciunt. Diodorus enim eum primo ad Phegeum, deinde ad Hyphasim pervenisse dicit, Curtius diversa tradit. Cum vero nullum aliud testimonium praesto sit, diiudicare non possumus, quatenus narratiuncula fide digna sit, neque eam in textum recipere licet.

## XXVII.

Orationem ab alio conscriptam hic quoque ad manus habuisse videtur. Congruit enim cum Justino. Apud Arrianum Coenus militum numerum pugnis laboribusque imminutum esse, et qui relictis essent desiderio patriae flagrare docet, denique regem monet, ne fortunae mobilitatem experiri velit. Eadem argumenta Justinus XII, S, 10 sq. milites proferre facit: „solos se esse, qui duorum regum . . . continuam militiam pertulerint. Tandem orare, ut reliquias saltem suas paternis sepulcris reddat... ac ne fortunam suam nimis onerando fatiget”. Circumferebatur igitur huius modi oratio, quae alicui eorum scriptorum adscribenda sit, quorum libros Arrianus *Xeybpeva pbvov brtsp 'AXeqdvdpou* appellat. Cum vero hac

de re Justinus a Diodoro Curtioque dissentiat, efficitur, haec *Xeybpeva* non plane inter se concinisse. Scriptores erant permulti, qui a Ptolemaeo et Aristobulo differrent et, etsi idem narrandi genus sequerentur, tamen inter se variarent. Quare parum recte, ubicumque duo consentiunt, Clitarchum latere suspicantur et voce „Klitarchische Ueberlieferung” utuntur. Interdum Clitarchus subest, sed haud raro de alio scriptore cogitare oportet.

## XXVIII.

Ceteri scriptores Alexandri Magni paucissima praebent, quibus ea, quae apud Arrianum de hac re tradita habeamus, locupletare possumus. Diodorus XVII, 93, 1—94, 5 et Curtius IX, 2, 1—3, 18 adeo congruunt, ut partim eundem fere librum excerpisse videantur. Uterque enim Hyphasim flumen difficillimum transitu fuisse memorat. (Diodorus septem stadia latum, sex *bpyutde* altum esse dicit). Alexander ex Phegeo comperit, ultra flumen duodecimi dierum iter per deseita ad Gangem esse; (Diodorus flumen triginta duo stadia latum esse adnotat. cf. Plut. 62) ulteriorem ripam gentes Gangaridas et Prasios incolere, quorum rex (Diodorus Xandramem, Curtius Aggrammem vocat) ducenta milia peditum, equitum viginti milia, duo milia currum, quattuor milia (Curtius: tria milia) elephantorum haberet. Alexander Phegeo diffisus Porum percunctatur (Curtius adicit verba: „nam eum eo erat”), qui idem adfirmat et Gangaridarum regem tonsoris filium humili loco natum esse dicit. Quo de re Curtius plura narrat. Ceterum parum veri simile est, Alexandrum tum deinum Porum percunctatum esse, nam cum hic inde ab Hydaspes flumine Macedonum exercitum comitatus esset, iam dudum ab eo de interiore terra sciscitatus erat. Nihilominus in proposito perseverat. Curtius eum „avaritia gloriae et insatiabili cupidine famae” ductum esse dicit, Diodorus fortitudine Macedonum et Pythiae Ammonisque oraculis confisum esse perhibet. Quae discrepantia nescio utrum ipsis an fontibus de-

beatur. Cum vero milites tot laboribus fessos esse non ignoret, ad contionem vocatos adloquitur. Exstant deinde apud Curtium Alexandri et Coeni orationes; neque vero in praetorum, sed in omnium militum contione habentur. Quanquam ea quidem, quae Alexander disserit, vehementer ab Arriano differunt, tamen uterque scriptor regem suam expeditionem Indicam cum Bacchi et Herculis comparantem facit. Quo ex consensu eos eodem exemplo usos esse efficitur. Oratione audita omnes ingemiscunt, neque quisquam lacrimis temperat. Denique Coenus galea detracta verba facit. Oratio eius ab ea, quam apud Arrianum traditam invenimus, diversa est, quia Coenus in primis milites belli labores non amplius ferre posse docet. Clamor ploratusque orationem eius excipiunt. Rex indignabundus in regia se tenet „omnibus praeter adsuetos adire prohibitis“. Tertio die procedit et castris motis retro iter verti iubet. Curtii narrationem Arriani simillimam esse manifestum est: cum alia, tum ea concinunt, quae Arrianus obliqua oratione refert. Eo magis apparet, haec neque Ptolemaeo neque Aristobulo tribuenda esse.

Diodorus nullas tradidit orationes, sed ut XX, 1 orationes narrationis tenori insertas spernit, ita hoc quoque loco si quas apud alios scriptores invenerat, ipse omisit. Alexandrum exercitum adflictum respexisse memorat eademque fere causas profert, quas Curtius Coenum pronuntiantem facit: copias diminutas, equos et arma confecta, vestes domesticas consumptas. Cum vero Diodorus unam causam adferat, quae apud Curtium desideretur, quam omissurus non fuerit, si in fonte invenisset, efficitur, eos eandem relationem secutos esse, non eundem librum exscripsisse. Diodorus enim hoc loco imbres commemorat, qui iam septuaginta continuos dies effunderentur, quibus copiae gravissime adflictae essent. Unde Diodorus hoc petierit, quia alibi nusquam exstat, certum adfirmari nequit. Cogitare possis de Aristobulo, quem de imbribus aestivis diligenter disseruisse ex Strabone XV, 1, 17 p. 691 cernitur. Accedit. quod alio loco (XV, 1, 27) Strabo tres adfert causas,

quibus Alexander redire permotus sit: omina quaedam divina, militum desperationem, imbres continuos. Atque haec tres causae ita apud eum in unum conexas exstant, ut Strabo eas non ipse coniunxisse sed apud alium scriptorem coniunctas invenisse videatur. Quem scriptorem Aristobulum fuisse etiam Vogel „de fontibus, quibus Strabo etc.“ p. 18 suspicatur. Omina haud dubie sacra illa accipienda sunt, quae Ptolemaeus commemoravit. Itaque Aristobulus de imbribus, qui iam septuaginta dies effunderentur, plane commemorasse videtur. Diodorus utrum ipse Aristobulo usus sit necne, non disceptaverim. Arrianum vero Aristobulo hoc loco usum non esse, sed Ptolemaeum et r« *επιφύζοντα* sequi perspicuum est. Ille certe de hac re eadem fere, quae alter Arriani auctor, memoravit. Minus probabilia ea sunt, quae Diodorus deinde refert: Alexandrum milites, quo alacriores redderet, terram secundum flumen sitam ad diripiendum concessisse et interea mulieres liberosque eorum largis donis distributis corrumpere studuisse. Haec merae sunt ineptiae ab obtrectatore aliquo fictae, fortasse eodem, cuius iam nonnulla vestigia reperimus. Postremo Diodorus Alexandrum milites ad contionem vocatos oratione commovere studuisse refert, cum vero non obsequerentur, redire coepisse. Orationem ad totum exercitum habitam esse cum Curtio consentit.

Plutarchus c. 62 aliam adfert causam. Dicit Macedones, postquam Pori copiarum virtutem et arma experti essent, minus alacres ad pugnandum fuisse. Hoc per se veri simillimum est. Nam postquam Darius ad Gaugamela superaverunt, ut non desierant bellum gerere, ita nunquam cum hostibus disciplina militari adusuefactis pugnaverant, neque magna commiserant proelia, sed obsidionibus parvulisque proeliis cum turbis incompositis conflixerant. Qua re cum in India denuo cum magnis populis magnisque exercitibus exercitatissimis belli concurrissent, milites bellum aspernatos esse non est mirandum. Ex quo fonte Plutarchus hoc mutuatus sit, dubium est. Fraenkel p. 149 de Onesicrito cogitat. Eodem capite Plu-

tarchus et de Pori exercitu, et de Prasiolorum copiis alios exhibet numeros (octoginta milia equitum, ducenta peditum, octo milia curruum, sex milia elephantorum) atque Diodorus Curtiusque.

Quae Justinus perhibet, admodum ieiuna sunt. Fabulatur XII, 8, 9 Alexandrum usque ad Gangem flumen progressum esse. Sane ea, quae Plutarchus c. 62 narrat, eodem modo intellegi possunt: „*dvTiorrhoav loyupwc ' Ake^avdpw [icaZopivw xdc rbv fdyyrv nepdaac nozapov*” et infra: „*ydpev oudepiav ecdwc Toi' dcanenpapp.ivocc, ec prj nepdoece TOV rdyrvjv*”, sed scriptorem eruditissimum tam vehementer errasse non crediderim, et verba eius omnino de expeditione ad Gangem flumen suscipienda accipio. Contra optime ex verbis eius ambiguis cernitur, quo modo fabula illa oriri potuerit, quam alii circumferre non dubitent.

Itaque haec sunt, quae de fontibus huius rei probabilia mihi videantur: Arrianus Ptolemaeum secutus est Aristobulo, qui eadem fere protulisset, neglecto; quae ex deterioribus scriptoribus sumpsit, oratione obliqua notavit. Haec ipsa apud Diodorum et Curtium exstant, qui adeo congruunt, ut communem iis fuisse auctorem manifestum sit. Quo ex consensu rursus efficitur, fuisse quondam rerum Alexandri scriptorem, quem postea omnes fere sequerentur. Neque vero hoc scriptore ipsi velut fonte primario usi sunt, sed uterque aliqua praebet, quae ab hoc scriptore aliena esse videantur. Denique apud Diodorum non sola deterior *TWV leyopevrv* relatio, sed interdum meliorum scriptorum reliquiae exstant.

#### XXIX.

Diodorus XVII, 95, 4 socios et mercennarios ex Graecia adductos esse dicit: plus triginta milia peditum, equitum fere sex milia, praeterea intt'gra arma viginti quinque milibus peditum et medicaminum. centum talenta; Curtius IX, 3, 21 perhibet, Memnonem ex Thracia quinque milia equitum et ab Harpalo septem milia peditum et viginti quinque milibus ar-

ma adduxisse. Hans Droysen l. 1. p. 77 et numeros nimis magnos esse contendit et dubitat, num omnibus sociis dimissis denuo socii Graeci • exercitui adiuncti sint. Nescio, utrum advenisse supplementa neget, an numeros in dubium vocet. Illud non esse negandum, ex ipsa re apparet. Scriptores Alexandri Magni in supplementis commemorandis nequaquam diligentes esse constat (cf. H. Droysen p. 36 sq. et 75 sq.). Iam vero, si Thracas V, 20, 7 commemoratos mittimus, Arrianus IV, 7, 2 postremum Zariaspis hieme annorum 329/328 copias suppletas esse tradit, id quod etiam Curtius VII, 10, 11. L2, etsi de numeris differt, commemorat. Neque credibile est, posthac exercitum nullis novis copiis suppletum esse. Immo statuendum est, Alexandrum, antequam in Indiam proficisceretur, copiis submitendis operam dedisse. Apud Arrianum Ind. 19, 5 traditum habemus, Alexandrum ad Hydaspem nV men, antequam naves conscendi iuberet, centum viginti milium exercitum habuisse: *Jdrj ydp xdc dwdexa pupcdec auTip pdypoc emovTov ouv oiocv dnb flakdoorjc re auzbc dvryyaye xdc auifce oc en'c oukkoyffj auzip orparedc neptttivTec rjxov eyovrec, TavToia eDvea BapBapcxd dpa oi dyovre xdc ndoav c3er.v wnMO-piva*". (Curtius eundem numerum VIII, 5, 4 exhibet: „centum viginti milia armatorum erant, quae regem ad id bellum sequebantur". Plutarchus c. 66 Alexandrum, cum in Gedrosiam invaderet, quindecim milia equitum et centum quinquaginta milia peditum secum duxisse narrat). Atque cum Arrianus in ea libri parte Nearchum fere sequatur, haec quoque ex Nearchi sumpta esse possunt. Itaque ea, quae Diodorus et Curtius memorant, hoc testimonio quodam modo confirmantur.

Cum Arrianus in anabasi hanc rem non commemoret, Ptolemaeus et Aristobulus de hoc supplemento fortasse tacuerunt. Utcumque res se habet, ex Diodori et Curtii consensu efficitur, communem iis fuisse auctorem, qui hoc quidem loco eius rei mentionem fecisset, cum vero de singulis dissentiant, eos non ipsos hunc auctorem exscripsisse.

## XXX.

Quem errorem scriptori posterioris aetatis, notr Clitarcho — i. e. communi auctori, ut altius repetamus — tribuendum esse Fraenkel nequicquam demonstrare conatus est (cf. append. I). Quod si omnes scriptores Alexandrum per Hydaspem flumen ad oceanum devectum esse tradiderant, si hoc inter omnes constabat omniumque memoriae penitus insitum erat, vix credibile est, ullum scriptorem, qui omnia ex scriptis fontibus hauriret, tam vehementer falsum esse, vel potius suo arbitrio id mutasse, de quo omnes consentirent. Non intellego, quo modo Fraenkel id cogitatione finxerit. Quam ob rem errorem illum primis post Alexandrum temporibus ortum esse puto, cum nondum omnia eius acta litteris mandata et in certam quasi formam redacta essent. Cum vero Onesicritum auctorem esse non credam, quippe qui ipse regiam navem gubernaverit, Clitarchum arguendum esse censeo. Sane nescio, de quo alio scriptore cogitari possit. Quem erroris auctorem, a posteris libentissime et saepissime usurpatum esse apparet; nam quanquam exstabant libri ab aequalibus Alexandri Magni velut Ptolemaeo et Aristobulo conscripti, tamen quae ille narraverat latius manarunt. Hic locus unus ex iis est, unde Clitarchum omnium, quae de Alexandro vulgo narrata sint, auctorem et quasi parentem esse efficiatur.

## XXXI.

Uterque plura quam Arrianus narrat. Atque adeo consentiunt, ut eundem iis fuisse fontem appareat, sed iidem tanto opere dissentiunt, ut non eundem librum exscripsisse possint. Haec sunt, quae memorant: Alexander in fines Sibarum invadit, qui ab Herculis comitibus se ortos esse adfirmarent. Diodorus Sibas, cum Alexander ad maximam urbem pervenisset, ipsos se subiecisse libertatemque retinuisse refert, Curtius regem ducenta quinquaginta stadia progressum regione

omni vastata oppidum quoddam, caput gentis, corona cepisse dicit. Deinde Alexandrum Agalasses, finitimam gentem, petisse, qui quadraginta milia peditum coegissent (et tria milia uquitum Diod.), quos proelio victos moenibusque inclusos cepisset. Adicit Curtius, Agalasses in ripa fluminis conlocatos ab Alexandro flumen transgresso in fugam compulsos esse. Quod intellegendum sit flumen, non liquet. Alexander enim a castris in dextra Acesinis ripa positus expeditionem in occidentem versus fecit, qua in regione usque ad Indum nullum invenire poterat flumen. De Indo flumine autem ne cogitare quidem licet. Tum aliam urbem adgressus, in quam viginti milia hominum confugisse Diodorus perhibet, „multos Macedonum amisit“ („*unfi3aXe zwv Maxedbvuv oux SXirouc*“). Quam urbem Diodorus a Macedonibus, Curtius ab incolis incensam esse dicit. Praeterea ille defensores, qui relictis essent, ipsos se dedidisse. hic — id quod sensu caret — Alexandrum arcem, quam tria flumina: a septentrione Indus, a meridie Acesines et Hydaspes circumdarent, navibus circumvectum esse narrat. Eursus cernitur, fuisse librum quendam, quo omnes fere posterioris aetatis scriptores velut fundamento uterentur, qui multis rebus et additis et omissis adeo mutaretur, ut postremo eadem tantum narrationis ratio remaneret. cf. append. XXXIII. De Sibis Strabo XV, p. 688 et Arr. Ind. 5, 12 iisdem fontibus, Megasthene et Eratosthene, quorum hic illum impugnat, usi agunt (Vogel p. 6); ad verbum enim congruunt: Strab.: „*zb ze dopdc dpn£yeo3at... xdi zb oxuza-Xypopeiv xui enixexauofstat 3ouai xdt rjptbvotc pbnaX.ov*“; Arr.: „*8opuc dpneyopivouc . . . xdt yup xdt oxuzdXrjv (fopeouotv oi lijSat, xai zftot ftouoiv auzwv ponaXov intxexauzat*“). Fabulam etsi notissimam fuisse ex Arr. Ind. 5, 8: „*noXXbc Xoyoc xaze-yet*“ apparet, tamen plurima Megasthenes scripsit. Itaque hoc loco Diodorus et Curtius auctorem sequuntur, qui aliquot annis post Alexandrum et post Clitarchum fuit. Eo minus omnium, de quibus consentiunt, Clitarchus auctor habendus est.

## XXXII.

Diodorus XVII, 97 et Curtius IX, 4, 9—14 similiter narrant, Alexandrum Sibus Agalassibusque devictis gurgites illos periculosos superavisse, deinde ad Mallos pervenisse. Sed prave Acesinis et Indi confluentes dicunt (Diodorus XVII, 97, 1: „*auzbc Sk Ttdhv pezdzcbv cpiXcov ipBdc ek zuc vauc 8iu zou Ttorapou rbv rt.ouv irtoieiro piypc xzjc aupSoXrjc rcbv TTPPOET-prj/iivcov rtorapcbv xui rou 'vdou*”; Curtius IX, 4, 8—9: „A septentrione Indus adluit, a meridie Acesines Hydaspi confunditur. Ceterum amnium coetus maritimis similes fluctus movet etc”). Error est gravissimus. Tribuendus est communi auctori, qui in Iibrum suum non tam ea recepisse videtur, quae ad bonis scriptoribus tradita erant, quam ea, quae vulgo de magno rege ferebantur. Postremo Curtius perhibet, Alexandrum „aris pro numero fluminem positus” sacrificio facto triginta stadia processisse. Hoc sensu caret, quia non enuntiat, quo processerit, praesertim cum pergat IX, 4, 15: „Inde ventum est in regionem Sudracarum et Mallorum”. Ceterum, etiam si haec in narrationis contextu intellegi non possint, tamen per se sensum aliquem habere possunt, et fortasse non ex fonte sumpta sunt, quem Curtius supra et infra secutus est.

## XXXIII.

Huc illa referam, quae Diodorus XVII, 96, 3 et Curtius IX, 4, 5 sq. de Agalassium urbe narrant. Curtius enim, qui ea diligentius memorat, multa praebet, quae cum Arriano congruunt: „Alexander amne sc. Hydrapte superato hostes in fugam compellit inclusosque moonibus expugnat. Puberes interfecti sunt, ceteri venierunt”/ Quae omnia apud Arrianum inveniuntur, nisi quod Pithonem urbem cepisse tradit VI, 7, 3: „*eE icpbdou TtpoofiaXovrec XauSdvnuot rb ycopiov xui rou; xarurtepeuybruc ec uurb rjvdpa-bdtoav, doot ye prj ev rffj rtpoaSoXff dtetpfdprjouv*”. Pergit Curtius: „Alteram deinde urbem expugnare adortus magna vi defendentium pulsus multos

Macedonum amisit.” Haec plane iis respondent, quae Arrianus de postrema urbe narravit. Idem valet in ea, quae sequuntur, incolas de salute desperantes ignem tectis subiecisse. Cetera, quae Curtius de arce memorat, apud Arrianum desiderantur. Ea autem, quae supra narravit, Agalasses quadraginta milia peditum in ripa fluminum opposuisse, ad alium Arriani locum quadrant, ubi describitur, quo modo Alexander Hydraotem iterum traiecerit i. e. in dextram ripam redierit. Itaque apud Curtium res alienae coniunctae sunt. Neque ex eo intellegi potest, haec omnia in Mallorum bello facta esse. Iam vero cum Curtius, si in fonte omnia diligenter narrata invenisset. tam gravem errorem non fuerit commissurus, in fonte eius haec iam confusa fuisse puto. Atque perspicuum est, auctorem singulas res, quae fama divulgatae essent, conlegisse et conexuisse. Hoc modo tales errores facillime explicantur. Diodorus fontem adhibuit, qui ab eodem auctore profectus est.

## XXXLV.

Quae omnia apud Diodorum et Curtium desiderantur et certe iam in communi eorum fonte praetermissa erant. Uterque (Diod. XVII, 98, 1 sq.; Curt. IX, 4, 15 sq.) Alexandrum, gurgitibus illis superatis in regionem Oxhydracarum et Mallorum venisse narrat, quae nationes, ante inter se dissidentes, tum societatem iniissent. Diodorus adicit, mutuis matrimoniis amicitiam confirmatam esse. Exercitum coegerant maximum: Diodorus octoginta milia peditum, decem milia equitum, septingentas quadrigas; Curtius nonaginta milia peditum, decem equitum, nongentas quadrigas dicit. Praeterea Curtius milites iterum fremuisse et ab Alexandro pratione habita ad summam alacritatem revocatos esse memorat. A Diodoro orationum contemptore. haec omissa sunt. Ea quae apud utrumque sequuntur, cum Arriano pugnant. Diodorus enim Mallos et Oxhydracas de summo imperio inter se dissidentes copias, quae coniunctae iam essent, discrevisse et in finitima oppida

se reCepisse refert. At Arrianus VI, 11, 3 Mallos et Oxydracas foedus facere statuisse confirmat, sed Alexandrum Mallos prius adortum 'esse, quam ullum ab Oxydracis factum esset auxilium. Curtius gentes coniunctas duces ex natione Sudracarum elegisse memorat, qui sub monte aliquo castra posuisset. Cum vero Alexander in aciem exiisset, barbaros subito profugisse impedimenta que omnia a Macedonibus capta esse. Ne haec quidem ad ea, quae Arrianus plane et diserte narrat, ullo modo quadrant. Itaque his fidem abrogandam esse eenseo. Ex Diodori et Curtii dissensu rursus apparet, eos eandem relationem praebere, non eundem librum adhibuisse.

## XXXV.

Arriani narrationem luculentam ex iis, quae ceteri scriptores praebent, vix amplificare possumus. In omnes deinceps inquiramus.

Ac Diodorus quidem XVII, 98, 2 sq., qui Mallorum et Oxydracarum nomina supra commemoravit, omissis ceteris cum Curtio consentit, Alexandrum ad urbem quandam pervenisse, quam diligentius non significat, cum Curtius IX, 4, 26 Oxydracarum fuisse tradat. Hanc deteriorum scriptorum esse relationem cum Arrianus VI, 11, 3 plane testetur, in manifesto est, Curtii auctorem in eorum numero fuisse. Diodorum autem, qui nomen omiserit, ea non temere sed ratione ductum omisisse puto, nam in iis quae sequuntur aliqua memorat, quae cum Arriano vel potius Ptolemaeo adeo congruant, ut communem iis fontem fuisse consentaneum sit. Nam quanquam cum Curtio consentit, Alexandrum, cum ad oppidum appropinquasset, a Demophonte quodam vate monitum esse, ne impetum faceret, quia vitae periculum immineret, et vatem ab Alexandro acriter increpitum esse — quae omnia Curtius pluribus verbis usus enarrat —, tamen cum § 4 *prjyavcxu bpyava* serius advenisse perhibeat, fontem secutus est, in quo res bellicae diligenter enarrata essent. Sane cum Arrianus taceat, ex hac re nihil certi efficere possumus. Verum in oppugna-

tione enarranda de nonnullis rebus solus Diodorus cum Arriano concinit. Nam urbem et arcem distinguit atque illam primo impetu captam esse tradit: Alexander *Siaxbipac r.utiSu* (Arr.: „*TiutiSa zcvd Scuoyouvzsc*“) in urbem invadit et *zcbv Maxs-Sbvcov Tispt zrv zetyopuyiuv ezt Stazpc[ibvzcov* (Arr.: „*ivzaulfa 8r*) *oc psv unopuaovzsc zb zeiyoc, dc Sk itpoaMoec bixr, Tiapeixoc τcuv xtipdxcov iStdoaltac inetpcbvzo sk zrv dxpav. 'A/igavSpoc Sk coc filaxusev auTcb sSbxouv Tcbv MaxsSbvcov dc cpspovzsc, zuc xtipaxac*) *zrv Tiltzrv UTkp zrc xsepuiXrje sycov* (Arr.: „*ei?.r)treic uith TJJ donc8c*“) in murum escendit. Cetera discrepant. Diodorus enim refert, regem et solum in murum evasisse, et ab Indis telis eminus petatum, cum duae scalae muro appositae conscendentium multitudine fractae essent, solum desiluisse et, a dextro latere arbore, a laevo muro tectum proelium cum hostibus iniisse. Reliqua brevius peragit. Neque enim comminus pugnatum esse, sed Alexandrum a barbaris tela ingrentibus („*TI0ti)c pkv yup sk το xpdvoc itipfiave n/rjydc, oux biyac Sk sk ττjv THTTJV iSsysTo*“) sub (non super) papillam sagitta vulneratum in genua concidisse refert. Sed tamen Indum, qui vulnerasset, temere invadentem interemisse, tum vero ramum arboris complexum surrexisse et hostes manu ad congreduendum provocasse. Tandem Peucestam *8I sTipuc xtipaxoc j r.poauvafidvzu* supervenisse, alios secutos esse et regem ex periculo eripuisse. Adicit Diodorus. arce capta incolas omnes ab iratis militibus occisos esse.

Diodorus igitur, quanquam de nonnullis rebus cum Arriano congruit, tamen diversam relationem praebet. Cuius summa haec est: Alexander solus in murum escendit et solus in arce cum hostibus pugnat, neque prius Macedones superveniunt, quam rex vulnere accepto paene extinctus est. Quae omnia et cum Arriani narratione pugnant, neque ipsi Diodoro attribuenda sunt, quia eiusdem relationis vestigia apud Curtium quoque inveniuntur.

Adiecit autem Curtius aliqua aliunde videlicet hausta, quae neque apud Arrianum, neque apud Diodorum inveniuntur.

Arcem enim et urbem non distinguit, sed omnia in oppugnanda urbe facta esse narrat. Quod utrum ipse finxerit, an in fonte invenerit, dubitare licet. Demophontis vaticinium a Curtio quoque commemorari supra dixi. Idem cum Diodoro consentit, Alexandrum solum et in murum evasisse et in arcem desiluisse. Murum diligenter describit („angusta muri corona erat: non pinnae sicut alibi fastigium eius distinxerant, sed perpetua lorica subducta transitum saepserat. Itaque rex haerebat magis quam stabat in margine") et amicos clamasse refert, ut ad ipsos desiliret, et desilientem excipere paratos stetisse. Praeterea adicit, Alexandrum, cum in arcem desiliret. „forte ita libravisse corpus, ut se pedibus exciperet" et ad arborem non ad murum se applicantem pugnam iniisse. De pugna magis cum Arriano, quam cum Diodoro congruit. Nam quanquam et ipse Indos primo congregari non ausos tela eminus misisse narrat, ut regi „genua succiderent", tamen Alexandrum, antequam vulneratus esset, duos barbaros contemptim incurrentes prostravisse memorat. Quo facto Indos iacula sagittasque fudisse; regem „exceptum poplitibus corpus" tenuisse, donec duorum cubitorum sagitta „per thoracem paulum super latus dextrum" vulneratus esset. Cum scriptor adiciat: „namque Indis, ut antea diximus, huius magnitudinis sagittae erant", efficitur, hunc locum eidem auctori attribuendum esse, quem VIII, 9, 28 et 14, 19 sequatur, ubi de immensis Indorum sagittis commemorat. De ceteris cum Diodoro concinit: Accepto vulnere Alexander conlapsus tamen Indum, qui vulneravit, ad spoliandum corpus accurrentem gladio interimit. Deinde surgere conatus rursus concidit, „manu provocans hostes, si quis congregari auderet". Tandem Peucestas „per aliam oppidi partem . . . vestigia persequens regis supervenit". Quae sequuntur apud Curtium, cum Diodori narratio brevissima sit, dubium est, num ex eodem fonte orta sint; sed auctorem non fuisse Ptolemaeum apparet, et de Aristobulo cogitari non posse statim videbimus. Pergit enim IX, 5, 15: „Subit inde Timaeus et paulo post Leon-

natus, huic Aristonus supervenit". Timaeus statim interficitur, ceteri quoque tres graviter vulnerantur. Tandem Macedonum exercitus muro dolabris perfracto inrupit, atque Indi caeduntur omnes.

Itaque, si rem universam spectamus, apud Curtium eadem j relatio cernitur, quam Diodorus exhibet, sed cum et murum diligenter describat et Alexandrum, cum desiliret, pedibus *se* excepisse aperte dicat, denique regem, antequam vulneratusj esset, cum barbaris manus conseruisse narret, dubito, an alius/ quoque auctor lateat, qui ad Arriani auctorem propius accedat. Justinus XII, 9 eandem atque Diodorus et Curtius exhibet relationem. Omnia expediuntur, quantum eius modi res expediri possunt, si Plutarchum conferimus. Qui item refert Alex. c. 63: „ουοΤρΕ<πα- καυΤοv εκ π£οου- d<FR-xe TOU~ TCO/S- fdou- XAI XAR d T UYRJV 6p uB - ΙΟΤΡJ- et cum Arriano congruit, Alexandrum non solum interclusum, sed „PSTU Sueiv u-AORTTOTIBV" fuisse, Peucesta et Limnaeo. Idem Alexandrum, cum in muro staret, XDRWDEV sc. ex arce telis petitum esse, et cum Curtio, Indos primo propius accedere non esse ausos, deinde vero gladiis et lanceis adortos esse narrat. Alexander sagitta per thoraceni „rok TTEPI TOV PU-TTBV BOREOI" vulneratur. Indus, qui vulneravit, stricto gladio incurrit, Peucestas et Limnaeus regem defendunt. Vulneratur uterque, Limnaeus cadit, Alexander barbarum interimit. Pergit: „AURB- Sk TPAUPUTA TCOUU /AFIWW, rE/o- Sk TT/rjek u-EPW XAZD rou RPAYRJou, -POOJPEWE TW TEIYEI T<> OWPA 3/ETCWV TTPB: rob; TTO/epiou-". Tandem ceteri superveniunt.

Tenendum est, Arrianum Ptolemaeo usum esse. Plutarchum, qui de una re eaque gravissima (sc. Alexandrum non solum fuissej solus cum Arriano consentiat, bonum auctorem secutum esse, per se veri simile est, quem Aristobulum fuisse Fraenkel p. 59 satis firmis argumentis comprobavit. Atque cum tota eius narratio Aristobuli esse videatur, ex hoc sumptum puto, quod Curtius Alexandrum, cum desiliret, pedibus se excepisse memorat. Itaque ut apud Diodorum Pto-

lemaei vestigia animadvertimus, sic statuendum est, Curtium hoc loco aliqua ex Aristobulo hausisse. Sed tamen si rem universam spectamus, non hos secuti sunt, sed diversam relationem, in qua omnia ad legentium animos movendos instituta erant. Quae relatio videlicet communi auctori tribuenda est. Quaeritur, quis fuerit. Nam etiam si Clitarchum primum rem prave enarrasse statuamus, tamen neuter Clitarchi libro velut primario fonte et quasi norma usus est, quia neuter Ptolemaeum Alexandri servatorem fuisse dicit, quam fuisse Clitarchi relationem Curtius IX, 5, 21 loco notissimo testatur: „Ptolemaeum qui postea regnavit, huic pugnae adfuisse auctor est Clitarchus et Timagenes. Sed ipse, scilicet gloriae suae non refragatus, afuisse se missum in expeditionem memoriae tradidit". Eandem rem Arrianum VI, 11, 8 nominibus non adlatis memorare, nemo est, qui nesciat.

Quo ex consensu concludendum est, utrumque non ipsum Clitarcho repugnare, sed ex alio scriptore hoc hausisse. Quem Eratosthenem fuisse, vel potius Eratosthenem primum relationes diversas contulisse, id quod Fraenkel p. 45 sq. comprobare conatur, non negaverim, sed item apparet, hanc disceptationem ab aliis quoque scriptoribus receptam esse. Conati sunt ex hoc loco de Curtii fonte certiora proponere. Cum Petersdorffio „Eine neue Hauptquelle des Q. Curtius Rufus" Hannoverae 1884 consentiam, Curtium fonte primario usum esse historiis Trogi Pompei, cuius auctorem Timagenem duferunt sed, si fidem historiae respicimus, ex hoc loco sequitur, et primum hunc Petersdorffii fontem *zcbv /syopsvvv* fuisse, et Curtium alios praeterea adhibuisse auctores, qui etiam Diodoro praesto essent. Omnino in fontes scriptorum Alexandri Magni inquirere res est difficillima. Cum crescat eorum numerus, qui veteres rerum scriptores diversas fontium relationes multo saepius copulasse et coagmentasse contendunt, quam ante concedebant (cf. Petersdorff „Eine neue Hauptquelle etc." p. 45 et 46), equidem despero, rem sic disceptari posse, ut nulla dubitatio remaneat. Certe de-

monstrari non poterit, quos aut quot libros quisque scriptor inspexerit, neque quam procul quasi absit a fontibus primigeniis.

## XXXVI.

Diodorus et Curtius, qui hoc loco cum Arriano discrepant, communem fontem adhibuisse videntur, quem Curtius aut diligentius expresserit, aut additamentis aliunde sumptis auxerit. Diodorus enim nihil eorum tradit, quae apud Arrianum exstant. Brevissime XVII, 90, 5 Alexandrum per multos dies curatum esse memorat et statim transit ad seditionem Graecorum Bactrianorum et Sogdianorum describendam. Proximo capite (c. 100) regem sanato vulnere diis sacra fecisse conviviaque sollemnia habuisse dicit et usque ad finem c. 101 certamen singulare Corragi Macedonis et Dioxippi Atheniensis enarrat. Denique c. 102,1 regem *zjv psv ozpaztav exi zbv Txozapbv dvzTzapdyisv* iussisse, et ipsum navibus conscensis in Sambastorum fines invasisse perhibet. Quo loco haec facta sint, utrum in superioribus castris, an usquam alibi, non commemorat.

Apud Curtium Diodori relatio cum Arriani in unum coniuncta est, sed, si penitus quaerimus, neque Ptolemaeo, neque Aristobulo usus est, sed nescio quo deterioris notae scriptore, rerum bellicarum imperitissimo, qui commentarios a commilitonibus Alexandri conscriptos plane neglexeret. Neque enim de locorum situ quicquam certi praebet, et omnis eius narratio diversi est generis. Narrat enim IX, 6, 1. 2 Alexandrum „septem diebus curato vulnere necdum obducta cicatrice", cum mortis suae famam apud barbaros manare audisset, „duobus navigiis iunctis" (quod admodum obscurum) in tabernaculo undique conspicuo secundo flumine defluxisse classemque omnem modico intervallo secutum esse. Haec cum inepta sunt — profectus enim est Alexander, non quo eius modi spectaculo hostium spem adfligeret, sed ut militum suorum animos erigeret —, tum, si locorum rationem habemus, Arriano plane

repugnant. Castra ad Acesinis et Hydraotis confluentem posita Curtius nihil commemorat, sed pergit IX, 6, 3: „Quarto, postquam navigare coeperat, die pervenit in regionem desertam quidem ab incolis, sed frumento et pecoribus abundantem. Placuit is locus et ad suam et ad militum requiem". Hoc loco et ea, quae apud Arrianum, et ea, quae apud Diodorum tradita habemus, facta esse commemorat: comitum preces et Alexandri responsum, legatorum adventum, convivium sollemne, certamen illud singulare. Narrat autem c. 6, comites omnes cubiculum regis intrasse et Craterum omnium verbis eum obsecrasse. ne nimium se periculis obferret, Alexandrum vero oratione habita preces eorum abnuisse. Quam narratiunculam a Nearcho primo prolatam esse, ex Arriano concludere licet. Sed cum ea fuisse videatur, quae a multis scriptoribus recepta esset, certum demonstrari non potest, ex quo auctore, Clitarcho, an Aristobulo, an alio quo, Curtius eam hauserit. Proximo capite § 1—11 militum Bactrianorum seditionem diligenter ille quidem, sed aliter ac Diodorus describit, deinde §•12—15 Indorum legationes commemorat: „Interim regem duarum gentium, de quibus ante dictum est, centum legati adeunt". Cum vero Mallorum et Oxydracarum legationes non distinguat et de numero legatorum et obsidum cum Arriano discrepet et aliqua adiciat, quae apud hunc desiderentur, apparet, Curtium aliam de hac re atque Arrianum relationem praebere. De convivio sollemni cum Diodoro concinit, idem certamen Dioxippi et Horrati (ita hominem vocat) eodem fere modo, quo Diodorus, describit. Tum c. 8, 1—3 Indorum legatos dimissos paucis post diebus cum donis revertisse dicit, quae dona diligenter describit. Denique § 3 adicit, regem Cratero imperasse, ut haud procul amne copias duceret, ipsum secundo flumine in f i n e s M a l l o r u m devectum esse. Quod cum ineptum sit, apparet, in Curtii fonte res geographicas prorsus neglectas esse. Per se nihil obstat, quo minus Diodoro et Curtio hoc quidem loco unum et eundem fontem praesto fuisse iudicemus, quem Diodorus in angustum coe-

gerit; quanquam non negaverim, Curtium fortasse duas relationes composuisse. De auctorum nominibus non interest coniecturas proferre; nam utcumque res se habet, Curtii narratio ab Arriani tanto opere discrepat, ut Aristobulus apud eum subesse non possit, sed de scriptore fide indigno cogitandum sit.

## XXXVII.

De his rebus omnibus Diodorus XVII, 102, 1—4 et Curtius IX, 8, 4—8, si non eundem, at certe similem fontem secuti sunt, qui ab Arriani plane diversus est. Ambastos enim, quos Arrianus dicit, uterque commemorare videtur, sed ab ipso rege gentem quandam e liberis (Curt.: „quae populi non regum imperio regebatur"; Diod.: *olxouvrec 3's TTOASCC Srijpoxproupsvuc*) in deditionem acceptam esse referunt, quam gentem Diodorus Sambastos. Curtius Sabarcas appellat. (De nomine cf. Lassen II p. 182 adn 1). Quos sexaginta milia peditum, sex milia equitum, quingentos currus coegisse (Curtius adicit, eos tres duces elegisse), ut hostes finibus suis prohiberent, cum vero classis appropinquaret, nova le perterritos arraa posuisse et legatis missis (quingenta primores Diodorus dicit) ab Alexandro in fidem acceptos esse. De singulis rebus scriptores non plane consentiunt. — Haec cum aliena sint ab Arriano, qui Abastanos non ab Alexandro sed a Perdicca subactos esse testetur, omnibus, quae Diodorus et Curtius proferunt, fidem abrogaverim. Quae apud eos sequuntur, non minus- obscura sunt. Pergit enim Diodorus § 4: „*ierd 3s TUUTU TOUC TTUpU TOV TTOTUpbv £\$ dpCpOTSpcOV TCOV /ISpebv XUTOCXOUVTUC, bvopuCopevotic 3s 2'bopac xac Maaaavnuc, ~poar, ydyero. ~ep| 3e TOUTOUC TOUC rbnou- sxrae TTOXCV ' AAe^dvdepacv xard rbv -orupbv pupcouc xaruAet-ac ocxvjTnpac. psrd 3s ruura e|c rryj Mouacxuvnu rou fuadscoe ycbpav xuzavrrjaac...*". Easdein res Curtius significare videtur § 8: „ad alias deinde gentes quarto die pervenit. nihilo plus animi his fuit, quam ceteris fuerat. Itaque oppido ibi condito, quod Alexandream appel-

lari iusserat, fines eorum, qui Musicani appellantur, intravit". Hinc concluderim, in Curtii fonte easdem gentes nominatas fuisse. quae a Diodoro commemorantur. Quas gentes eas esse suspicor, quae apud Arrianum Xathri et Ossadii vocantur et ipsae se subiecisse dicuntur. Nam quod nomina non plane congruunt, minime premo. Subest autem alia de his rebus relatio, quae ab Arriano diversa sit, neque a Ptolemaeo aut Aristobulo orta sit. Quarrum ob rem ne hic quidem res singulas, quas Diodorus et Curtius memorant, quae per se haud improbables sint, fide dignas esse censeo, velut quod Diodorus gentes in utraque fluminis ripa incoluisse, vel quod Curtius Alexandrum quarto die ad eos pervenisse enuntiat.

Falso, ut mihi quidem videtur, Lassen II p. 183 Xathros a Sodris discernit. Neque de illis quicquam certi profert. Sodras probabili coniectura eosdem esse putat, qui ab Indis Cudra vocabantur, qui ad inferiorem Indi fluminis partem incoluisse videntur (Lassen I p. 947 et adri. 2). Errat autem homo doctissimus, cum II p. 183 adn. 1 Plinium N. h. XII, 12 eos Sydracas appellare existimat. Nam, cum apud Curtium IX, 4, 15. 26 Oxydracae (Xudraka) Sudracae dicantur, nullo modo demonstrari potest, Plinium illo loco Cftdra, qui vocantur, intellegere. Item Lassen errat, cum Massanos a Diodoro commemoratos ab Ossadiis discernit. De illis enim nihil certi adfert, cum Ossadios certae regioni attribuat et Vasati, qui dicuntur, ducat (Lassen II p. 181 et adn. 4; I p. 973 adn. 5). Quod si res ita se habet, oppidum illud, cuius apud utrumque scriptorem mentio fit, Alexandriam ad Indi et Acesinis confluentem esse puto, non Alexandriam Sogdianam. Itaque non consentio cum Droyseno, qui Diodorum secutus p. 190 adn. 1 et p. 191 decem milia militum Alexandriae sc. Sogdianae cum Pithone relicta esse narrat.

### XXXVIII.

Ambigi potest, in dextra an laeva fluminis ripa haec gesta sint. Quam in rem Droysen et Lassen, etsi recte

de ea videntur iudicare, non ea, qua par est, diligentia inquisiverunt. Sed antequam ad rem adgrediar, commemoro, me Indum flumen non eum, qui nunc est, fluminis cursum intellegere, sed cursum antiquum, quem ad orientem pertinuisse inter omnes constat. Antiquis igitur temporibus inter flumen et montes • multo latior patebat planities, quam inter flumen et deserta, quae in laeva ripa terram fertilem attingebant. Hinc cum aliqua veritatis specie vel per se conligere licet. Musicani et Oxycani et Sambii regna maiore saltem ex parte in dextra fluminis ripa sita fuisse.

Idem ex Arriani narratione efficitur. Nam cum Sambus ab eo VI, 16, 3 montanorum Indorum satrapes dicatur, regnum eius sine dubio ad montes situm erat sc. usque ad montes pertinebat, qui Indiam ab Arriana seiungunt. Musicani autem regnum Sambii regno confinem fuisse cum Arrianus VI, 16, 3—5 satis plane significet. ea quoque gens ibi videtur incoluisse. Iam cum Alexandrum terrestri itinere a Musicano contra Oxycanum profectum esse tradat VI, 16, 1: „'£v>rsv dk dvaXa(iibv zouc ze zo~bzuc . . . ifeXuuvst" — dvaXapftdvetv enim verbum non nisi de itinere terrestri usurpat — et oppresso Oxycano nulla mora interposita i. e. terrestri itinere Sambum adgressum esse memoret (VI, 16, 3: „b 8k ini 2'dp-3ov uu r)ye . . ."), apparet, illius quoque regnum in dextra fluminis ripa situm fuisse. Arrianus enim, ubicumque Alexandrum navigantem inducit, hoc ipso verbo significat (VI, 2, 2: „ini zdc vauc dvstifiuos" ; 3, 1: „intj3uc zi)z vsbc" ; 4, 1: „ouzco 8r) nXicov . . . xaziojev" ; 4, 2: „auzbc dk snXet" ; 4, 3: „ui>zbc, 8k enXet . . . inoizizo zbv nXouv" ; 5, 4: „N£up%ov pev xuzanXsiv xsXsusC; 13, 1: „nX£cov xuzu zbv nozapbv" ; 14, 4: „dvafiti3doac £c zdc vauc xazinXsuosv" ; 15, 4: „xazenXst" ; 15, 5: „xazenXet" ; 17, 5: „nXouv eyovzi . . . xazenXet" ; 18, 3: „xaz£nXet") et verbo *dystv* semper de terrestri bello utitur. Denique Arrianus narrat, Alexandrum in Sambii regno de Musicani defectione certiorum factum esse et Pithone ad deprehendum eum misso Musicani regnum armis percurrisse et domita

gente ad classem castraque rediisse. Hinc rursus efficitur, Musicani gentem in dextra fluminis ripa incoluisse.

Quae cum ita sint, de situ gentium haec sunt statuenda. Musicani regnum in dextra Indi fluminis ripa patebat, Oxycani gens ad meridiem vergebat, Sambus in regione occidentali usque ad montes regnabat, ita tamen, ut fines eius regni magis in septentrionem spectarent. Hoc ex Arr: VI, 16, 3: „6 3e ine lapSov a i r)ye” recte conlegit L a s s e n II p. 184 adn. 2. Praeterea Musicanus et Oxycanus ulteriorem Indi fluminis ripam usque ad Delta, quod dicitur, obtinuisse videntur. De urbe Musicani dubitari potest, in dextra an laeva ripa posita fuerit. Positam vero eam fuisse ad ipsum flumen. inde effecerim, quod Arrianus nulla expeditione terrestri commemorata Alexandrum a Sogdorum regia navibus ad Musicani urbem devectum esse et infra infra omni regione pacata ad castra et classem rursus rediisse tradit, quam ad urbem remansisse puto. Veri similis autem est de dextra ripa cogitare, quia Alexander, cum Oxycanum adgressurus esset, statim profectus esse neque flumen transiisse dicitur. Quae omnia in Aior oppidi reliquias optime quadrant. Itaque Alexander primum in Musicani regia constitit, deinde in meridiom profectus Oxycanum subegit, tum ad septentrionem rursus et occidentem conversus Sambi fines intravit, denique per Musicani fines ad classem rediit.

Ceterum adnotaverim, me de Sambi regno a D r o y s e n o dissentire, qui p. 192 adn. 2 terram in infima fluminis parte sitam fuisse censeat, quasi Musicani, Oxycani, Sambi regna in meridiem versus inter se exceperent. Quod enim a Strabone petiit argumentum, nihil valet. Sane Strabo XV p. 701 § 33 Sambi regnum ad ipsam Pattalenen situm fuisse testatur, sed idem de Musicano et Oxycano memorat: „-pbc aurff d^rjdy] rff llarralrjvf] rijv re Mouoxavou Myouoc xdc rr)v IdBou, rd Icvdbpava, xdc erc rr)v lloprcxavou xdc dUcov, cbv kxpdrjtjoev d-dvrwv 'A'Ae\$av8poe, ry)v rou 7vchu napocxouvrcov -orapcav-. Itaque Strabonis verba minime sunt premenda,

sed apparet, scriptorem omnino gentes dicere inferiorem Indi fluminis partem accolentes.

### XXXIX.

Cum ex Arriano cum aliqua veritatis specie perspicere possimus, quo modo et quo loco quaeque res gesta sit, Diodorus et Curtius neque ad res, neque ad loca melius cognoscenda quicquam valent. Uterque enim vera falsis, probabilibus improbabilia sic permiscuit, ut suspecta fiant, quae per se haud incredibilia videantur. Ut a locis incipiam, ex Diodoro cerni non potest, Alexandrum relicta classe interiorem terram invasisse, immo tam obscura sunt, quae narrat, ut sine dubio ne in fonte quidem quicquam certi invenerit sed auctorem exscripserit, qui neque ipse expeditioni interfuisset, neque commentarios Alexandri aequalium inspexisset. Haec enim sunt, quae Diodorus de copiarum motu tradit: XVII. 102, 5: „perd 8e raura ek ri)v Mouaixavou . . . xaravrr)oaç” et „'e£r)c 8'sk rrjv Ihpnxavou . . . spBalcov”; deinde § 6: „e£yc 8s ri)v re 2ap3ou BaacMav isenbp&rjoe” et C. 103, 1: „ri)c 8'ioxdrriç rcbv Bpaypdvcov -bAecoc. . . -ecppov^parcopivT] endvdeia xdt 8uoycop'cacc . . .”; denique 104, 1: „aurbc 8I xaranhuoac ek rbv 'Qxeavbv”.

Curtius meliore hoc quidem loco usus est auctore, quamquam ex eo quoque, quem Diodorus adhibuit, aliqua hausit. Nam de expeditione illa terrestri cum Arriano adeo congruit (Curt. IX, 8, 8: „fines eorum, qui Musicani appellantur, intravit”; § 11: „Inde ad Praestos . . . perventum est”; § 13: „Sambi regis fines ingressus est”; § 16: „rursus amnem, in quo classem exspectare se iusserat, repetit”), ut ex eodem fonte hausisse videatur. Sed idem Arriano prorsus repugnat, cum IX, 8, 17 memorat: „Quarto deinde die secundo amne pervenit ad oppidum, quod in regno (imo Jeep, ultimo Vogel) erat Sambi.” Navibus enim Alexandrum in Sambi regnum pervenire non potuisse, supra vidimus. Praeterea cum numerus dierum in narratiuncula inveniatur, quae ex deteriore

quodam scriptore sumpta sit, veri simile est, Curtium, ubicumque dierum numerum adferat — qui loci saepius reperiuntur — fide non esse dignum et fonte usum esse parum credibili. Interdum demonstrare possumus, falsum esse numerum aliquem, sed suspecti sunt omnes. Quem scriptorem eundem fuisse, qui etiam Diodoro praesto esset, relationibus inter se comparatis facile cognoscitur.

Eadem enim cernitur ratio: apud Diodorum una relatio exstat, apud Curtium eadem, sed permixta sunt alterius relationis vestigia. Sane de Musicano nihil certi statui potest. Diodorus enim, qui res gestas suo arbitrato enarrare et interdum in angustius cogere solet, XVII, 102, 5 brevissime memorat, Alexandrum regnum eius invasisse, principem interfecisse, gentem sub potestatem suam redegissee. Itaque propter narrationis breviter nihil ex hoc loco efficere possumus. Curtius cum Arriano congruit. Narrat enim IX, 8, 8—11 Alexandrum Musicani gente in deditionem accepta urbi praesidium imposuisse; post vero, cum in Sambis regis finibus versaretur, Musicanum rursus defecisse. Pergit IX, 8, 15: „Ad quos opprimendos missus est Pithon, qui captum principem gentis eundemque defectionis auctorem adduxit ad regem. Quo Alexander in crucem sublato rursus amnem, in quo classem exspectare se iusserat, repetit". Adnoto, a Curtio non principeni, sed gentem Musicanos dici.

De altero principe (Oxycano) Diodorus et Curtius eundem fontem secuti esse videntur. Nam et de nomine eius cum Arriano discrepant — Porticanum, non Oxycanum vocant — et aperte memorant, eum occisum esse, cum in locum munitum confugisset. Quod Curtius refert, oppidum tertio die expugnatum esse, cum Porticanus de pace iam ageret, hoc, etsi per se non veri dissimile est, tamen suspectum mihi videtur, cum dierum numerus Arriano repugnet, qui primo in petu oppida capta esse narret. Iniuria igitur Droysen hanc Curtii relationem narrationi suae inseruit. Quae apud Diodorum exstant: „360 pkv ££ £f6Sou noXstc" et „-uc dk noXstc

*undaac rdi unb TOUTOV rsruy/isvac kxno).wpxr)auc xur£oxa<ps xat noXuv cpoftov zoic nXrjatoycbpotc insarrjosv"*, haec cum Arriano congruere videntur, sed tamen ei repugnant — nam cetera oppida non vi capta, sed ab incolis dedita esse testatur — et ex eodem fonte hausta esse possunt, quomodo Curtius adhibuit.

Vel maior inter Diodorum et Curtium consensus cernitur, si ea, quae sequuntur, respicimus. Consensus tam est manifestus, ut communem auctorem subesse consentaneum sit. Hunc auctorem Clitarchum fuisse, Curtius hoc loco aperte enuntiat. Nam IX, 8, 13—15 Alexandrum Sambis fines ingressum esse multisque oppidis in fidem acceptis validissimam gentis urbem cuniculo cepisse memorat et adicit § 15: „octoginta milia Indorum in ea regione caesa Clitarchus est auctor multosque captivos sub corona venisse". Idem fere Diodorus narrat XVII, 102, 6:

*dk rr)v zs Idpftou ftaatXsiuv k^STloptrrjOs xui ruc nXeioruc nb/.scg iquvSpannScadpsvoc xai xuruaxd<puv xariy.ops roiv fiapftdpcov unkp rdc bxrco puptdSac"*,

Haec cum Arriano prorsus pugnant, qui Sambis oppidum non expugnatum sed ultro deditum esse memoret et Alexandrum, quanquam de crudelitate eius reticere non soleat, in Sambis gentem nihil saevisse, sed uno oppido vi capto Brahmanos, qui I j ,  
seditionis auctores essent, interfecisse perhibeat. Nec veri si-  
mile est, Alexandrum, qua esset clmentialn dediticios, crudelem se prae-buisse in homines, qui nihil repugnassent, sed ipsi se subiecissent. Haud dubie auctor huius relationis haec cum iis confudit, quae Alexander in Musicani regno oppressa seditione fecit. Neque Droysen p. 195 haec recepit, sed de Sambo unum Arrianum sequitur. Quam ob rem haec prorsus abicienda sunt. Sequitur Clitarchum et scriptorem fuisse fide non dignum, et hoc quidem loco primigenium communem Diodori et Curtii auctorem fuisse. Utrum Curtius Clitarchum in fonte laudatum invenerit, an ipse laudaverit, non liquet, quanquam illa sententia veri similior est. Quod a Curtio Clitarchi nomen adfertur, inde non efficitur, illum in hac libri parte auctore usum esse, qui a Clitarcho alienus esset; nam veteres

rerum swiptores fere omnes in auctoribus suis laudandis nullam certam rationem secutos esse, sed tum potissimum eos nominasse, cum rem aliquam memorabilem referrent, statim concedit, quicumque eos paululum lectitavit.

Eidem Clitarcho errorem vitio dederim, qui apud Diodorum invenitur. Pergit enim XVII, 102, 7: „*TO psv ouv eitvoc TCOV bvopuCopevcov Bpaypdycov TotuuTute ~ept&-ceoe oupcpopuic-rcbv 3e Xoirrbcv petfxerrjptcbv devjtkvTcov, TOUC ahicoTUTOuc xoXdouc Tobz /otTiob- dneXuoe rcbv eyxXripuTcov*”. Clitarchus igitur — id quod omnibus Alexandri commilitonibus notum esse debebat — ignorasse videtur, Brahmanos non gentem, sed sacerdotes fuisse. Quem errorem Curtius vel auctor eius meliorem fontem secutus evitavit. Quae cum ita sint, ne iis quidem fidem habuerim, quae Diodorus eadem paragrapho de Sambo narrat: „6 3e BaoiXeb- 2.'dpfto- perd TptdxnvTu sXecpdyTcov cpuycov etc TT)V TZ&epav Tnu 7v3ou ycbpuv 3t&-puye TOV xivSuvov”. Sane Droysen p. 175 Diodorum sequitur, sed obici potest, Sambum, qui montanorum Indorum princeps esset, fortasse in montes invios, neque in ulteriorem fluminis ripam profugisse, quo per Oxycani regnum ei iter faciendum erat, si quidem recte de locorum situ existimamus.

Denique ex communi fonte narratiuncula hausta est, quae apud Diodorum XVII, 103, 1—8, Curtium IX, 8, 17—28, Justinum XII, 10, 2. 3 exstat. Narrant enim, Alexandrum ad oppidum quoddam pervenisse, quod Curtius Sambis regis, Diodorus Brahmanum fuisse dicit et Harmatelia appellat. Alexandrum praemissis Agrianibus oppidanos ex moenibus elicuisse et magna cum caede terga vertere coegisse. Quo in proelio barbaros telis venenatis usos multos Macedonum insanabilibus vulneribus affecisse. Quorum in numero Ptolemaeum fuisse. Hoc loco Ptolemaeus a Diodoro et Curtio summis laudibus effertur. Kegem pro viro carissimo sollicitum per somnum herbam vidisse, quae veneni remedium esset; Ptolemaeum herba imposita sanum factum, oppidum a barbaris traditum esse. — Narratiuncula satis fabulosa fortasse ad illud Savnbi

oppidum pertinet, quod Arrianus vi captum esse tradit. Scriptores sic consentiunt, ut alter alterum interdum expleat, sed nusquam alter alteri repugnet. Narratiuncula, propter manifestam Ptolemaei adulationem, sine dubio a Clitarcho orta est.

Ut paucis comprehendam, quae in hac adnotatione ex-I posui: Diodorus Clitarchum hoc loco secutus esse videtur, / Curtius et Clitarchum et unum ex Arriani auctoribus. Cum/ vero non paucis de rebus discrepet inter eos, vel alter alterum expleat, non ipsi Clitarchi librum exscripserunt.

#### XL.

Iam supra commemoravi, Diodorum expeditionis finem tam breviter enarrare, ut de auctore eius nihil certi statui possit. Alexandrum enim memorat ab illa Brahmanum urbe nulla mora interposita ad oceanum devectum in duabus, quas invenisset, insulis sollemnia sacra fecisse; deinde vero aris Oceano et Tethyi factis adverso flumine rediisse et redeuntem ad oppidum illud Tauala pervenisse, unde cum exercitu in Gedrosiam profectus esset. Quocumque ex fonte haec fluxerunt, fons fuit deterior, cum propter loca parum diligenter significata, tum propter narratiunculam de oppido illo prolata. Adnotaverim, Onesicritum apud Strabonem XV 1, 34, p. 701 illos mores Laconicos Musicani genti tribuere, unde concludere licet vel duas huius rei fuisse relationes, vel primigeniam Onesicriti relationem apud Diodorum corruptam exstare.

Curtius haec omnia multo diligentius exponit, ita tamen, ut non eundem, quem Arrianus, fontem sequatur. Unam discrepantiam Fraenke l p. 425 recte notavit: cum enim Arrianus Alexandrum sine locorum peritis Pattalis profectum dicat, Curtius eum cum ducibus usque ad insulam quandam navigasse et desertum ac iis diutius ibi substitisse memorat. Qua ab insula Alexandrum sine locorum peritis quadringenta stadia progressum esse et, cum gubernatores iam auram maris agnoscerent, emisisse in ripam „qui agrestes vagos excipe-

rent", sed etsi illi ab indigenis renuntiassent aliquid, tamen solum iter perrexisse et tertio die, „ad aliam insulam medio amni sitam" classem adplicasse. Ibi «tertia ferme hora" aestuum accessum et recessum accidisse. Postremo regem cum paucis navibus ad ostium fluminis evectum quadringenta stadia in mare processisse et diis sacrificio facto ad classem rediisse. Itaque imprimis hoc discrepat inter scriptores, quod Curtius duas in flumine insulas commemorat. Atque, cum nihil sit, cur Arriano hoc loco fidem non habeamus, et Arriani auctores de hac re non dissensisse verisimile sit, equidem alium Curtii auctorem statuerim, qui locorum non habita ratione suo arbitrio res omnibus notas enarraverit. Accedit, quod et numerus repetitus (quadringenta stadia) mihi quidem suspectus videtur et quod cetera, quae Curtius IX, 10, 1—3, profert, admodum obscura sunt. Nam quanquam et ipse lacum illum salsum commemorat, tamen Alexandrum non Pattala rediisse et ad alterum ostium devectum esse dicit, sed obscuris utitur verbis § 1: „Hinc adversum flumen subit classis et altero die adpulsa est haud procul lacu salso etc." Deinde non magis probabiliter Leonnatum praemissum esse dicit, „ut puteos foderet, quo terrestri itinere ducturus exercitum videbatur", et ipsum cum copiis substitisse, ut vernum tempus exspectaret. Neque enim apud Arrianum de illo mandato quicquam traditum habemus, et Aristobulus (Strabo XV 1,17 p. 692) Alexandrum aestate a. 325 Julio mense Pattala pervenisse testatur. Profectus autem est in Gedrosiam auctumno eiusdem anni. Non minus Curtius Arriano repugnat, cum Alexandrum «interim et urbes plerasque" condidisse et postremo Nearchi atque Onesicriti imperasse narrat, ut naves in Oceanum deducerent. Quae cum ita sint, haec omnia ex deteriore fonte hausta esse puto. Non negaverim, fortasse immixta esse aliqua, quae ex meliore auctore petita sint, sed cum totum narrationis contextum parum probabilem esse appareat, reliquias eius investigare neque possum, neque audeo.

#### IV. Conclusio.

Cum iam finem fecerim disserendi, operae pretium esse puto paucis comprehendere quae ex disputatiuncula mea efficiantur. Ea magna ex parte non esse uova non ignoro et vereor. ne *ylaux' /W^vaCe* tulisse multis videar. Sed tamen aliqua, quemvis sint pauca, me attulisse spero, quibus homines docti uti possint.

Omnium primum id quidem constare arbitror, proficiendum esse ab Arriani libro et ceteris Ptolemaei et Aristobuli reliquiis, ut fundamento aliquo firmo niti possimus. Minime autem nobis licet ex nostro arbitrio narrationem eius additamentis amplificare ex Curtio Diodoro Justino sumptis, si per se non improbabilia videantur, id quod Droysen et Lassen identidem fecerunt. Paucos eius modi locos in libello meo notavi, velut Droysen p. 126 narratiunculam illam de Aphrice vel Erice aliquo in textum recepit et in proelio ad Hydaspem flumen facto de Ptolemaeo quidem ea, quae Arrianus, et ea, quae Curtius praebet, sine ulla dubitatione in unum coniunxit. Loci sunt plurimi. Itecipere eius modi additamenta non licet, nisi aliquo meliorum scriptorum testimonio confirmantur. Plerumque enim scriptores vel falsa, vel parum probabilia praebent, ubi cum Arriano discrepant vel narrationem eius complere videntur:

Velut Diod. XVII, 85, 3 et Curt. VIII, 11, 7 in Aorno monte describendo voragines commemorant, quae ad Arriani narrationem luculentam minime quadrant. — Diod. XVII, 85,

4—86, et Curt. VIII, 11. 7 Aorni montis oppugnationem ita enarrant, ut neque locorum situs, neque rei militaris ullam rationem habeant. — Diod. XVII, 86, 2 et Curt. VIII, 12, 1—3, narratiunculam illam de Aphrice vel Erice exhibent. ubi Curtio quoque, etsi Ecbolima oppidum commemoret, fides non est habenda. — Diod. XVII, 86, 5 et Curt. VIII, 12, 8 Alexander impetum a Taxile metuisse dicitur. — Diod. XVII, 80, 4—91, 4 et Curt. IX, 1, 1—9 de rebus post magnam pugnam gestis pessimum fontem interdum ad verbum fere sequuntur. — Diod. XVII, 93, 1 et Curt. IX, 1, 35 Hephaestionem ad Hyphasim flumen advenisse dicunt, id quod per se veri simile non est. — Uterque de Sopithe, Indorum principe, prava profert, ex fonte hausta, qui tum compositus est, cum memoria rerum Alexandri vigeat. — Diod. XVII, 95, 3 et Curt. IX, 3, 20 parum diligenter Alexandrum ab Hyphasi ad Hydaspem eadem via rediisse ferunt. Uterque cum Justino congruit Alexandrum non per Hydaspem, sed per Acesinem devectum esse, quae fabula iisdem temporibus orta est. — Diod. XVU, 97 et Curt. IX, 4, 9—14 falso Acesinis ostium dicunt, non Hydaspis. — Diod. XVII, 102, 1—4 et Curt. IX, 8, 4-8 de Sambastis vel Sabarcis Arriano plane repugnant.

Idem scriptorum consensus saepius cernitur, etiam si non semper cum Arriano plane pugnent sed aliquantum discrepent:

Curtius et Justinus in enarranda obsidione Massagorum urbis eandem relationem proferunt, quae apud Justinum magis amplificata exstat. — Proelium ad Hydaspem commissum aequae obscure describunt. Similia Justinus memorat sed exornata et in maius aucta. — Diod. XVII, 93, 1—94, 5 et Curt. IX, 2, 1—3 de Prasiolorum gente eadem fere tradunt, De rebus ad Hyphasim flumen gestis cum iis plane congruunt, quae Arrianus *zww IsyojLsvvv* relationem esse significat. — Non minus consentiunt de Sibis et Agalassibus et de horum uibe falso ea memorant, quae in Mallorum bello gesta esse ex Arr. VI, 7, 3 efficitur. Etiam hic error mature ortus est. — Diod. XVII, 100 et Curt. IX, 6; 7, 12-20; 8, 1—3

consentientes res memorant, quae apud Arrianum desiderantur, sed ita, ut Curtius iis aliqua Arriani immisceat et de locorum situ inepta enuntiet. Item de oppidi illius obsidione, ubi rex vulneratus est, *zd Isyousvd* proferunt, de Porticano rege cum Arriano discrepant, oppugnationem oppidi alicuius commemorant, ubi Indi telis veneno tinctis usi sunt, (Diod. XVII, 103, 1—8; Curt. IX, 8, 17—28; Just. XII, 10, 2. 3).

Quae singula commemorant, etsi interdum haud improbabilia sint, tamen, si Arrianum conferimus, omnia fere aut falsa aut suspecta saltem esse efficitur. Velut: Curt. VIII, 11, 3—25 Chari et Alexandri mors; 12, 4 sextis decumanis castris; IX, 3, 19 arae ex saxo quadrato; 3, 24 quadringenta stadia; 4, 14 triginta stadia; 6, 1 septem diebus; 6,3 quarto die; 8, 8 quarto die; 8, 11 tertio die; 8, 17 tertio die; 9, 3 et 27 quadringenta stadia; — Diod. XVII, 86 3 triginta dies; 86, 4 quadraginta stadia; 87, 3 quadringenta stadia; 89, 1. 2 numerus Macedonum in pugna caesorum; 89, 6 triginta dies; 95, 12 quinquaginta cubitus; 102, 4 Sodres et Massani in utraque ripa incolunt; 102, 7 Sambus cum triginta elephantis trans Indum flumen confugit.

Ex locis supra adlatis apparet, id quod vulgo concedunt, Curtium, Diodorum, Justinum, si penitus inquirimus, pleraque hausisse ex fonte communi, cuius auctor non multo post Alexandrum fuisset, cum memoria nondum litteris mandata et defixa esset. Non desunt vestigia, unde concludere liceat, Clitarchum fuisse hunc scriptorem. Semel enim, ubi uterque scriptor falso Alexandrum Sambi regnum devastasse dicit, Curtius IX, 8, 13—15 Clitarchum huius rei testem laudat. Deinde apud utrumque interdum studium quoddam cernitur Ptolemaei laudandi; quod studium a Clitarcho non alieum fuisse constat. Locum significo notissimum Curt. IX, 5 21 ubi Clitarchus non Peucestam, sed Ptolemaeum regis servatorem dixisse fertur. Idem studium apud Curtium reperimus, cum proelium ad Hydaspem commissum narraturus Ptolemaeum impronnis Porum fallere iussum esso dicit et VIII, 10, 21 Ptolemaeo

belli laudem attribuit, quam ipse Ptolemaeus sibi non vindicavit. Similiter Diodorus et Curtius Ptolemaeum telo venenato vulneratum, summis laudibus ad caelum fere efferunt.

Eidem auctori nescio num tribuenda sint vestigia odii cuiusdam et infesti in Alexandrum animi, quae interdum inveniuntur. Velut Curt. VIII, 10, 5 Alexander militibus imperasse dicitur, ne cui parcerent; Diod. XVII, 84; Plut. Alex. 59; Polyæn. 4, 3, 20 rex mercennarios Indos contra ius fasque trucidasse arguitur; tum apud Diodorum XVII, 94, 4 inepte traditum habemus, regem quo alacriores fierent militum animi et promptiores ad bellum, mulieres et liberos eorum corrumpere studuisse; denique Curtius et Plutarchus monumentum ad Hyphasim flumen relictum maligne commemorant.

Auctorem communem omnia, quae ad locorum situm pertinerent, plane neglexisse aut obscure saltem significasse ex toto narrationis contextu sequitur cum Diodori tum Curtii. Ille enim interdum loca omnino non curat, cum hic res gestas semper aliquo modo conectere conetur. Non magis scriptor ille res bellicas respexit, sed narrationem suam prorsus ita instituit, ut legentium animi commoverentur. Curt. VIII, 10, 22—36 perverse Choaspem flumen commemorat, et obsidionem Massagorum ita describit, ut et Arriano repugnet et minime probabilia proferat; c. 13 et 14 Ptolemaeum et in dextra ripa remansisse et in regis comitibus fuisse hariolatur, de pugna contra Porum facta, malum fontem sequitur et de Attalo fabulatur; in enarrandis rebus ad Hyphasim gestis scaenam, ut ita dicam, falsam praebet; de Agalassium regione inepta profert; in describendis rebus, quae post regem sanum factum gestae sint, narratio eius intellegi non potest. Haud aliter Diodorus, ut unum locum adferam, de Musicano et Porticano et Sambo, si loca spectamus, tam inepta profert, ut auctorem eius neque expeditioni interfuisse, neque scriptore rei militaris perito usum esse appareat. Non minus inepte 102, 7 Brahmanas gentem fuisse dicit.

Quo scriptore Diodorum et Curtium non ipsos usos esse ex plurimis levioribus scriptorum discrepantiis apparet, quas enumerare longum est. Unum Megasthenis vestigium de Sibus et Agalassibus supra notavi, praeterea interdum animadvertere possuros, quo modo narratio primigenia in maius aucta sit. Velut de Alexandri et Cleopidis, Assacenorum reginae, amore Justinus ea adfirmat, quae Curtius dubitanter significat; vel Arr. Ind. 15, 10 Nearchus memorat, Pithonem serpentem sedecim cubitus longam vidisse, Clitarchus apud Ael. 7t. C- 17, 2 tantam serpentem captam esse narrat, Diod. XVII, 90, 1 multas huius generis bestias visas esse dicit; vel Plut. 62 Alexandrum ad Hyphasim flumen arma ingentis magnitudinis reliquisse perhibet, apud Curtium IX, 3, 19 et Just. XII, 8, 16 inde integra castra facta sunt „amplioris formae quam pro corporum habitu.“ Denique Diodorus et Curtius, qui de enarranda Alexandri vulneratione cum Arriani relatione non concinunt, de nomine servatoris consentientes a Clitarcho discrepant.

Iam vero, quanquam tres illi scriptores ad integram rerum memoriam restituendam non multum valent, tamen non pauca commemorant, quae vel Arriani vel aliorum scriptoribus testimoniis confirmantur. Hos adfero locos Diodori: XVII, 86, 4 de Taxile cf. Arr. IV, 22, 6: — 86, 3 naves ab Hephaestione exaedificatae cf. Arr. V, 8, 4; — 89, 4 naves post proelium struuntur cf. Strab. XV, 1, 29 p. 698, qui Aristobulum sequitur: — 90, 4—91, 2 Hephaestio emittitur et Porus minor commemoratur cf. Strab. XV, 1, 30 p. 699: — 91, 2—4 Adresti et Cathaei; — 94, 3 imbres septuaginta dies effunduntur cf. Strab. XV, 1, 17, et 27 p. 691 et 697, qui Aristobulum sequitur; — 95, 4 subsidiorum adventus cf. Arr. Ind. 19, 5 qui Nearchum sequitur; — 98 et 99 pauca ex Ptolemaeo sumpta esse videntur, si Arrianum conferimus. — Itaque Diodorus quoque aliqua ex Ptolemaeo et Aristobulo sumpsit.

Vel magis hoc valet in Curtium, apud quem non pauca

eius modi loci inveniuntur ex Aristobulo magnam partem petiti. Velut VIII, 10 initium belli; — 12, 5, G Taxiles cum Alexandro de pace agit et Hephaestionem benigne excipit; — 12, 13 Porus Taxili infestus cf. Arr. V, 18, 7; — 13, 1 legati Abisaris adveniunt cf. Arr. V, 8, 3; — 13, 2 Alexander legatos ad Porum mittit, — 13, 6 et 14, 2 Pori exercitus; — IX, 1, 4 naves aedificantur; — 1, 13—23 Cathaeorum bellum; — 3, 21 copiarum supplementa adveniunt; — 4 et 5 in describenda obsidione Mallorum oppidi aliqua ex Aristobulo sumpta sunt; — 8, 3 Cratevus copias terrestres ducit; — 8, 8—16 expeditio in Porticanum et Sambum et Musicanum suscepta, ubi Diodori relatio cum Arriani coniuncta est.

In praefatione iam exposui, me diligentius non quaerere, quot et quibus fontibus interiectis quisque scriptor ab auctore primigenio seiunctus sit. Commemoro, id quod iam pridem animadverterunt, Diodorum, si rem in universum spectamus, minus procul ab eo abesse, quam Trogum Pompeium et Curtium. Velut XVII, 00, 4—91, 2 satis diligenter ea enarrat, quae apud Curtium parum integra exstant. At Curtius, ea, si integra in fonte suo invenisset, certe non mutilavisset.

Relinquitur, ut de Arriani libro pauca dicam. Atque facere non possum, quin iis adsentiar, quae homines docti iam ante contenderunt. In pugnis et rebus bellicis enarrandis scriptor Ptolemaeum imprimis sequitur, in locis describendis et legationibus aliisque eius modi rebus commemorandis ad Aristobulum se applicat. Itaque non concedo Praenkelio, apud Arrianum inde a VI, 12 usque ad finem expeditionis omnia ex Aristobulo hausta esse. Hos adfero locos, quibus cum aliqua veritatis specie Ptolemaeum agnoscere licet: Arr. IV, 24, 1 sq. propter narrationis perspicuitatem, verba „*fidyryj xapzepd*“ bis repetita, propter Ptolemaei praedicationem ex hoc quidem scriptore hausta sunt, praesertim cum 25, 4 ipse testis laudetur. — 26, 1 sq. non aliter Arrianus Massagorum urbis obsidionem luculentissime describit, Assacenum non nominat, viginti quinque Macedones cecidisse memorat. —

28, 6 Nicanorem satrapen dicit. — 29—30, 4 Ptolemaeus in primis excellit et formula „*pd-/rj xapzepd*“ bis invenitur. — V, 14, 3 Aristobulus ita laudatur, ut narrationis contextus ex illo auctore sumptus esse videatur. — 15, 4 Pori exercitus; — in proelio ad Hydaspem describendo Ptolemaeum sequitur; — 21 sq. nullius fluminis latitudo notatur; — 21. 3 iis repugnat, quae 20, G narrata sunt; — 22, 1 et 24, 6 Cathaeorum socii sic commemorantur, ut auctoris liber ex commentariis diurnis compositus esse videatur; — 23, 7 mandata Ptolemaeo data oratione directa commemorantur; — 28, 4 ipse Ptolemaeus laudatur, quem Arrianus omnino eo loco sequitur; — VI, 2, 3 testis adfertur et 7. 4 rursus viginti quinque milites cecidisse dicuntur; — 10, 1 Ptolemaeus de spiculo evulso tacuisse videtur, cum Arrianus nihil certi referat.

Non rarius Aristobuli vestigia inveniuntur: V, 8, 1—3 Taxiles et Indi Alexandrum excipiunt cf. Strab. XV, 1, 28 p. G98; — 19, 1 de Pori magnitudine, inde a 18, 4; — 20 de Glausis, quia Taxiles cum Poro veteres inimicitias gessisse dicitur, deinde legatio Abisaris commemoratur; — 29, 2 sq. Aristobulo tribuerim; — VI, 2, 1—3 septem gentes et duo milia oppidorum et classis profectio; — 4, 2 Hydaspis fluminis latitudo; — 12, 1 de castrorum situ cum iis discrepat, quae supra dicta sunt. Itaque haec ex Aristobulo sumpta et quae c. 13 init, de situ castrorum notata sunt, ab Arriano postea addita esse arbitror. Extremam Arriani narrationem, cum tota sit in rebus bellicis enarrandis neque inserta sint digressiones, ut ita dicam, geographicae, potius ex Ptolemaeo, quam ex Aristobulo haustam esse putaverim. Aristobulum autem nequaquam scriptorem fuisse adfirmo, qui solis scriptis fontibus uteretur; sed quibus ipse interfuisset rebus, cas memoriter perscripsit; unum locum notavi, unde hoc certo efficitur: Arr. V, 14, 3.

Non omiserim, Arrianum hac quidem libri parte eam, quam in praefatione sibi proposuerit legem, diligenter observare. Ubicumque enim oratione directa utitur, narratio eius

ea est, quae aut ex Ptolemaeo aut ex Aristobulo sumpta esse possit; contra cum *rd Xeybpeva* sequitur, id aliquo modo demonstrat: Arr. IV, 28, 1—3: de Aorno monte verbis *Xbyoc xareyet* et *Xeyuot* eandem relationem significat, quam Diod. XVII, 85, 2; Curt. VIII, 11, 2; Just. XII, 7, 12 exhibent. Idem valet in Arr. V, 14, 4: *Xeyuotv* cf. Curt. VIII, 14 init. Non aliter oratio ab Alexandro V, 25, 3 sq. ad praetores habita magnam partem ex eodem fonte hausta est, quo Trogus Pompeius usus est (Just. XII, 8, 10).

Ut iam concludam dissertationem meam, id quidem demonstrasse mihi videor, emendatore opus esse, qui fontium ratione disquisita et aliqua correctione adhibita Droyseni librum splendidissimum retractet atque in novam formam redigat.

## Sententiae controversae.

1. Omnes, qui hac aetate exstiterunt, Alexandri rerum scriptores non certa quadam ratione, sed suo arbitrio auctorum relationes aut recipiunt aut reiciunt.
2. Demonstrari non potest, quot et quos quisque scriptor Alexandri auctores sequatur, neque quot et qui fontes ab auctoribus adhibiti sint, nisi quis forte legem Nissenianam, etsi palam spernit, tamen re ipsa et usu sequitur.
3. Arr. IV, 22, 3 codicum scriptura „i\$rxovroc rjdrj rou rjnoc- adversus Praenkelium, qui „tipouc" proposuit, retinenda est.
4. Arr. IV, 24, 1 in enuntiato, quod est „tbc eni rbv noravw rbv EudonXa npouytpet", verba „rbv norapbv rbv" delenda et nomen „EuaonXa" oppidum intellegendum esse puto.
5. Arr. V, 13, 4 scribendum videtur „oi 'Ayptdvec oi dxovrcorai", non „oi 'Ayptdvec xai oi dxovrtorai".
6. Thuc. VI, 11, 4 traditum verborum ordinem adversus Rauchensteinium retinuerim, ita ut verba „el de ofa-ipev rt . . . enttioivro" verbis „rd ydp . . . dbvra" praecedant.
7. Catull. 66, 43 fortasse scribendum: „quem maximum in auris progenies Thiae clara supervehitur.

- S. Catull. 94 quidam homines docti collationem recte iudicant eo contineri, quod in proverbio „ipsa olera olla legit” non homo, sed olla olera legere dicitur.
9. Catull. 96, 3 scriptura „quo desiderio” recipienda est.
10. Horv carm. III, 30, 14 verba „sume superbiam” sic accipiam, ut „sume”, si sensum spectamus, fere idem sit, quod „accipe” vel „fer”.
11. Hor. carm. I, 3, 1 particula „sic” haud dubie cum Nauckio et Luciano Muellero ita accipienda est, ut ad coniunctivum „regat” pertineat, neque ulla insit vis condicionalis.
12. Iniuria homines docti non in saturae ad scaenicos quosdam Romanorum ludos refertur.
13. Latine qui nunc scribunt, iis plus libertatis concesserim, quam concedunt Ciceroniani.
14. Verbis Latinis recte exprimendis plus, quam fere fit, dandum est operae.
15. Philologiam qui profitentur non tam in litteris colendis acquiescere, quam iuvenibus instituendis operam dare debent.